


PALAESTRA LATINA



ANN. XXXIX (Fasc. IV) - N. 208
M. DECEMBRI — A. MCMLXIX

PALAESTRA LATINA

Trimestres litterarum latinarum commentarii Caesaraugustae edendi

Praeses: J. M. Ciller, C. M. F. *Administrator:* Henricus Arenas, C. M. F.
Moderator: Marianus Molina, C. M. F. *Curator technicus:* Jesus Aspa, C. M. F.
Praecipui scriptores: Josephus M. Mir, C. M. F.; Josephus M. Jiménez, C. M. F.

Pretium mittatur oportet ad administratorem:

San Antonio M.^a Claret, 9 — ZARAGOZA (España)

Scripta ad moderatorem: Colegio Menor, CALATAYUD (Zaragoza - España)

Constat in Hispania et America Hispanica: 80 pesetis; in Gallia: 10 francis; in Italia: 1.200 libellis; in Germania: 8 marcis; in Anglia: 15 solidis; in reliquis civitatibus, 2 dollaribus

Depósito legal Z. 191. - 1966

Editur Ordinarii et Superiorum licentia

I N D E X

ANN. XXXIX (Fasc. IV) - N. 208

M. DECEMBRI — A. MCMLXIX

J. JIMÉNEZ DELGADO, C. M. F., « <i>Stultifera navis</i> » pervulgata <i>Sebastiani Brant satura</i>	145
P. BENEDICTUS SCHMIDT, S. V. D. — VILHELMUS AUER, <i>Carmina</i> .	155
N. MANGEOT, S. J., <i>De pyramidum aenigmate et historia</i>	159
J. MARINELLI, <i>De re cosmonautica</i>	165
PETRUS ROMANELLI, <i>Certamen Capitolinum XXI</i>	171
GUSTAVUS WALLNER, <i>Horis subsicivis: Missus in mundum</i>	173
BIBLIOGRAPHIA, A. Grillone, M. Molina, C. M. F., J. Aspa, C. M. F., P. Herranz, C. M. F.	181

PALAESTRA LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII

A SOCIIS CLARETIANIS EDITI

ANN. XXXIX (FASC. IV) — N. 208

M. DECEMBRI

A. MCMLXIX

"STULTIFERA NAVIS" PERVULGATA SEBASTIANI BRANT SATURA

Postquam de vita et quibusdam operibus Sebastiani Brant in superiore fasciculo «Palaestrae Latinae» egimus, nunc ad opus praecipuum argentorantensis scriptoris veniamus, cui index est «Narrenschiff» seu *Navis Stultorum*¹, quo maximam gloriam adeptus est. Erasmus illud ante oculos habuisse fama est ad *Encomium Morias*² conscribendum³. Hoc tamen est discrimen inter haec duo memorabilia opera, quod *Encomium Morias*, soluto sermone, mordaciores continet nugas quam ut christianae conveniant modestiae et caritati; dum *Stultifera Navis*, satyricum quidem opus metro vinctum, etsi mores castiget atque irrideat, non tamen fines excedit moderationis et modestiae.

Re vera opus non latine primum sed germanice editum est sub titulo *Das Narrenschiff*, notissimo indice vulgatum; sed tanta fuit ejus laus et praestantia ut mox semel iterumque ederetur et in plu-

1. *Das Narrenschiff*. Basileae, Joh. Bergmann de Olpe, 1494; versio vero latina, anno 1497, a JACOBO LOCHER, sub indice *Stultifera Navis*, Basileae, Joh. Bergmann de Olpe, Kalendis Martiis.

2. DES ERASMUS, *Encomium Morias*, 1509.

3. H. SCHÖNFELD, *Die kirchliche Satire und religiöse Weltanschauung in Brants "Narrenschiff" und Erasmus "Narrenlob"*, in *Colloquia: «Modern Lang. Notes»* 7, febr. 1892, 78-92; mart. 1892, 137-149.

res linguas verteretur ⁴. Versionem latinam constat a Jacobo Locher (1471-1528), Sebastiani Brant discipulo clarissimo ⁵, apprime factam esse, ut patet initio primae editionis, anno 1497 vulgatae ⁶:

«Narragonicae profectionis nunquam satis laudata Navis per Sebastianum Brant vernaculo vulgarique sermone et rhythmo pro cunctorum mortalium fatuitatis semitas effugere cupientium directione, speculo, commodoque et salute, proque inertis ignavaeque stultitiae perpetua infamia, execratione et confabulatione nuper fabricata, atque jam pridem per Jacobum Locher, cognomento Philomusum, Suaevum, in latinum traducta eloquium, et per Sebastianum Brant denuo seduloque revisa, felici exorditur principio» ⁷.

Jacobus Locher, strenuus Sebastiani Brant discipulus, grato erga magistrum animo hanc versionem fecit, quam tamen recognoscendam magistro tradidit et emendandam. Ipse suos erga praeceptorem animi sensus sponte in epistula nuncupatoria exprimit, quae ita se habet:

«Epistola Jacobi Locher Philomusi ad eruditissimum virum Sebastianum Brant jurisconsultum et poetam argutissimum, praeceptorem suum dilectissimum.»

«Si fas esset, praeceptor jucundissime, exotici ac barbari sermonis quiddam tuis mundissimis auribus inculcare, in praesenti praeludio rudis locutor audaxque juvenus manibus tuis dedicarem, quod mihi labor ingenuus, sedentariaeque noctes ac frequens lucubratio peperere. Sed quia te humanitatis splendore conspicuum censorem video, absque ruboris macula ad te scribendum pueriles excitavi manus, nec enim es de numero eorum criticorum, qui cum et ipsi nihil sapiant, ingenii tamen asperitudinem in alios vertunt... Memini dulciter me puerum stipendiis felicis academiae sub praeceptore meruisse. O dulces confabulationes, quas sermone tuo suavissimo conditas publico in auditorio te profitente accepimus! Quotiens enim in frequenti gymnasio certamina poetarum grandisonamque veterum chetyum inflammasti, lepidoque susurro cantinelas orphicas delphicasque permulsisti!... Ita tu, carissime praeceptor, animum meum primitus ad feliciores studiorum secessus antraque jucundiora tua affabilitate ac urbanitate induxisti. Gratias igitur non quas volumus, sed quas nostri pectoris exiguitas valet referre non dedignemur... Laudabis

4. Cf. editiones et versiones *Stultiferae Navis* apud F. ZARNCKE, *Sebastiani Brants Narrenschiff*, Leipzig, 1854, pp. XXXVI-CXLII; A. POMPEN, *The English Versions of the Ship of Fools*, London, 1925, pp. 14-19.

5. Jacobus Locher, clarus Sebastiani Brant discipulus, germanus poeta latinus, illustris fuit, dignus qui Bononiae, anno 1497, solemniter lauri coronam reciperet. Professor quoque exstitit in Universitatibus Ingolstadtensi et Friburgensi.

6. *Stultifera Navis*... Basileae, Joh. Bergmann de Olpe, 1497, fol. A.

7. Post hanc explanationem, ad calcem folii, prostat annus 1407 et impresoris lemma cum ipsius nomine expressum: «Nihil sine causa — Io. de Olpe».

discipuli tui audaciam, qui sui praeceptoris saluberrima rhytmata, latiali (quamvis dura ac balbutienti) lingua e teutonico linguagio vertit... Te adhortari non desinam, ut in nostris lucubrationibus favorabiles assensus curamque praesentem adhibeas. Non enim dubito quin crassis quidem auribus, corde obstinato, impensis superciliis... manus sanguinarias temere nobis impingant... Est enim nobis altior cothurnus... Igitur, dulcissime fautor, ventis impera et naviculis nostris ac phaselis salubres auras precare. Vale. Datum Friburgi, Kal. Ferbruarias, Anno domini XCVII.»⁸.

Ex his verbis constat Sebastianum Brant fautorem fuisse et castigatorem versionis Jacobi Locher, ideoque ipsi quoque Sebastiano, gloria, quae ex latina versione promanat, tribuenda est. Ipse Jacobus Locher aperte profitetur in alia epistula Johanni Bergmann de Olpe dicata:

«Etsi non dubito, amice jucundissime, plures nasutos criticos nebulonesque profanatos nostris lucubrationibus jamjam de extincta favilla suscitatos esse, tamen juvenus nostra, qua suavioribus ac politioris doctrinae musulis semper adhaesimus, facile importunos occursus latrantium superabit, si nobis praeceptoris nostri facundissima manus affaverit, nullas barbarici gregis contumelias formidabimus...»⁹.

Sed Sebastianus non tantum castigavit versionem latinam *Stultiferae Navis*; ipse illustravit et decoravit versibus mirifice fictis, in quibus palam propositum declarat consiliumque opus suum in latinum vertendi, quod tamen negotiorum copia perficere nequivit. En tibi Sebastiani verba:

«Nuper ego stultos vulgari carmine scripsi.
Est satis hic noster notus ubique labor.
Narragonum quando nobis fabricata carina est,
Teutonico qualem struximus eloquio.
Quam deinde, ut volui contexere forte latino
Scommate pro doctis principiumque dedi,
Occurrere mihi tam creba negotia passim,
Quae versu exorsum detinuere pedem;
Quo fit ut incoeptum tam dignum opus ipse reliqui
Et fregi calamum quem semel apposui.
Atque destitui mediis Palynurus in undis

8. Haec epistula Jacobi Locherii Sebastiano Brant magistro amicissime missa est initio operis post epigramma, cujus prima verba sic se habent; «Carmina sint quanvis triviali sculpta moneta...»

9. Cf. opus *Stultifera Navis*, sub finem operis, ubi epistula Locherii Johanni de Olpe dicata invenitur.

Stultiferam navem remivagamque ratem.
 In re proinde tibi nostra, praeque omnibus uni
 Tradimus omnimodas, care Jacobe, vices.
 Altius attollas malos, classemque relaxa,
 Antennasque suo flamine ventus agat;
 Tuque gubernaculo subeas, clavumque retorquens
 Fac fatuos quo suis per sua transtra loces;
 Flecte viam velis, remosque impelle, rudentes.
 Excute, quo cursu concita navis eat.
 Incautos fuge sed scopulos penitusque latentes,
 Scyllam atque adversi monstra caveto mali;
 Anchora cum sit opus prora jactetur ab alta,
 Ne tibi collidant ventus et unda ratem.
 Vortice praecipitem cave sis, ne te impetus ullus
 Sive procella vorax obruat. Inde vale.»¹⁰

Si rationem operis et finem scire vis *Stultiferae Navis*, ipse Jacobus Locher in prologo aperte exprimit hac ratione:

«... aut prodesse volunt aut delectare poetae, aut simul et jucunda et idonea dicere vitae. Edocent enim quae mala, quae bona sint; quid vita, quo virtus, quo ferat error. Nam impios, superbos, avaros, luxuriosos, lascivos, delicatos, iracundos, gulosos, edaces, invidios, veneficos, fidefragos, temerarios, audaces, temulentos, indoctos et fatuos poetae lacerant. Et contra virtutis candidissimos imitatores laudibus magnis extollunt, et cuique suorum meritorum praemia ascribunt. Cum vero nostra tempestate tam paene innumeri sint fatui et stulti homines qui manifestaria stultorum delicta vitamque spurcissimam taxarent, hanc scribendi libertatem, praeceptor noster jucundissimus, Sebastianus Brant, iurium doctor, poetaque haud ignobilis, ad communem mortalium salutem lingua vernacula celebravit, imitatus Dantem Florentinum atque Franciscum Petrarcham, heroicis vates, qui etrusca sua lingua mirifica contexuere poemata. Cum vero *Narragonia* seu *Navis fatuorum* (quam non inepte satyram appellare possumus) omnibus pernecessaria sit, operae pretium duxi ut eam in carmen verterem latinum, quo exteris quoque nationibus (quibus nullum est linguae nostrae commercium) prodesset. Sunt enim Galli, sunt denique Graeci, qui id genus dictaminis non caperata fronte lectitent...»¹¹.

Argumentum operis quaeris? Ipse Jacobus Locher breviter exponit his verbis:

10. Verba Sebastiani Brant, quibus hoc epigramma Jacobo Locher dicatur, haec sunt: «Ad Jacobum Philomusum subeundae professionis Narragoniae, e barbaria in latiale solum, exhortatio Sebastiani Brant».

11. Cf. o. m., fol. VII-VIII.

«Ad humani generis felicitatem documentumque saluberrimum stultorum classis ad Narragoniam constructa fulget, quam quidem omnes conscendunt qui de semita veritatis et aperte sani intellectus calle vagantes in varias et umbrosas mentis tenebras ac corporis illecebras corruunt.»

«Potuisset hic noster libellus non inconcinne satyra nuncupari, sed auctorem novitas tituli delectavit. Sicut enim prisci satyrici variis poematibus contextis, scelera ac pravitates mortalium reprehendebant, ita nostra haec pagina status et condiciones hominum ad oculos depingit, ut tamquam in nitidissimo speculo quisquis mores et vitae suae lineamenta contueatur. Nolim tamen arbitretur fidus laboris nostri lector verbum nos verbo reddere, ut Flascus ait; sensus enim duntaxat notasque vernaculi carminis simplici numero latine transtulimus...»¹².

Etiam in praefatione ipse Jacobus in carmine hecatosticho de argumento narragonici libelli his versibus disserit:

«Est igitur numerus stultorum maximus, orbem
 Qui terminat totum, stultitiamque fovet

 Attamen et stultos possim cumulare profanos
 Quemlibet, ad meritum jure notare queam,
 Innumeras classes fingam longasque triremes,
 Et naves celeres, velivolasque rates;
 Si non sufficiunt, cristata petorita, rhedas,
 Esseda Gallorum, jam sine fine struam;
 Nec potis una ratis scultorum pondera ferre,
 Quos gerit innumeris versibus iste liber.
 Nobilis et clarus venit huc cum paupere dives,
 Civibus urbanis carbasa plena sonant;
 Rusticus, imberbis juvenis, curvaeque senectae
 Turba venit; pueri stultiloquusque parens;
 Indocti doctique simul, longo ordine cincti,
 Ad pictas properant accelerantque rates.
 Feminumque genus, turpis quod saepe voluptas
 Incitat, et torquet non moderatus amor.»¹³.

Saturarum carmina, quae in *Stultifera Navi* continentur numerum centum exsuperant, quorum argumentum varium est et facetum; ita, ex. gr.:

12. Cf. o. m., fol. VIII (v).

13. Cf. o. m., ibidem.

- | | |
|----------------------------|--|
| 1) De inutilibus libris | 9) De saecularis potentiae exitu |
| 2) De doctrina filiorum | 10) De militibus et scribis |
| 3) De incompositis moribus | 11) De cellariis et cocis |
| 4) De contemptu scripturae | 12) De cavillatione sacerdotum
in choro |
| 5) De nimia garrulitate | 13) De larvatis fatuis |
| 6) De inutili studio | 14) Concertatio virtutis cum vo-
luptate. |
| 7) De custodia mulierum | |
| 8) De livore et invidia | |

Neque haec sunt exigua carmina, sed longiora, cum pleraque eorum duas vel tres paginas superent. Praeterea fere singula ornantur pictis imaginibus apprime expressis¹⁴. Dolendum sane est quod raro exemplaria inveniuntur versionis latinae *Stultiferae Navis*. Nul- lum inveni Parissii in Bibliotheca Sorbonensi, nullum Salmanticae; tria tamen inveni Matriti in Bibliotheca Nationali¹⁵, nonnulla in Bi- bliotheca Britanici Musei, Oxonii in Bibliotheca «Bodleian» dicta, Ar- gentorati in Bibliotheca Nationali et Universitaria, Basileae in Biblio- theca Universitaria¹⁶. Pampilone, quoque, in Archivo Diputationis Pro- vincialis aliud exemplar primae editionis (Kl. Maii 1497) religiose asservatur¹⁷. Sed in votis est ut cito nova prodeat editio ut ubique

14. PAUL KRISTELLER, *Die Strassburger Bücher-Illustration im XV. und im Anfange des XVI Jahrhunderts*. Leipzig, 1888. GILBERT R. REDGRAVE, *The illus- trated Books of Sebastian Brandt*, in «Bibliographica», London, 1895-97, II pp. 47-60; WILHEM FRAENGER, *Hans Weiditz und Sebastian Brant*. Leipzig, 1930; ERWIN PANOFSKY, *Albrecht Dürer and Classical Antiquity*, in «Meaning in the Visual Art», Garden City, N. Y., 1955.

15. *Stultiferae Navis* editiones, quae in Bibliotheca Nationali Matritensi reperies, hae sunt: 1) Basileae apud Joh. Bergamann de Olpe, Kal. Martiis 1497: *sign. I 287*; 2) Basileae apud eundem, Kal. Augustis 1497: *sign. I 338*; 3) Lugduni apud Jacobum Sacconium, die 28 Junii 1488 (ita in editione, sed le- gendum est 1498): *sign. I 1079*.

16. In Bibliotheca Magni Seminarii Dioecesanii Argentoratensis vidi editio- nem alteram Argentorati per magistrum John. Grunninger impressam Kal. Junii anni 1497. Notandum explicit editionis, quod ita se habet: «Impres- sum in episcopali ac urbe libera Argentina per magistrum Johannem Grun- ninger. Anno salutis nostrae MCCCCXCVIJ Kalendis Junii. Valedicite omnes.»

17. De hac editione disserunt, non sine erroribus quibusdam, Jesus Borda et Josephus María Cia, *Los incunables de la Biblioteca Provincial de Navarra*, in «Boletín de la Comisión de Monumentos históricos y artísticos de Navarra», 5, 1914, 87-91. Alias quoque vidi *Stultiferae Navis* editiones, ex gr., Barcinone in Bibliotheca Universitatis et ibidem in Bibliotheca, quae «Centralis» dicitur: sed magna earum copia est in Bibliotheca Britanici Musei Londinensi.

terrarum hujus Sebastiani Brant tanti momenti satura de moribus magis in dies difundatur, ad usum praecipue eorum omnium qui linguam latinam excultam et propagatam exoptant.

Nunc si iudicium proferre velimus de virtutibus et momento Stultiferae Navis longius procederemus quam par est. Nec est cur in hac re immoremur, cum plures sint qui ad trutinam hoc opus adduxerint, magna cura pensando hujus operis virtutes et praestantiam¹⁸. Ut vero lector ipse iudicare ex se ipso possit, liceat hic primum proponere carmen «De inutilibus libris»¹⁹ et postea quid de hoc opere clari scriptores senserint:

18. En tibi, lector humanissime, praecipua opera, ordine quo edita sunt proposita, ab anno 1892: HEINRICH STEKKER, *Der Versbau in niederdeutschen Narrenschiff*. Inaug. Diss., Rostock, 1892; FEDOR FRAUSTADT, *Ueber das Verhältnis von Barclay's "Ship of Fools", zur lateinischen, französischen, und deutschen Quelle*. Inaug. Diss., Breslau, 1894; VIKTOR DALHEINER, *Die Sprache Alexander Barclay's in the "Shyp of folys" of the worlde*. Inaug. Diss., Zürich (Jena progr.), 1899; ERIK BJÖRKMAN, *Bemerkungen zu des niederdeutschen Bearbeitungen des Narrenschiff*. Upsala Arskrift, 1904; P. CLAUS, *Rhythmik und Metrik in Sebastian Brants Narrenschiff*. Strassburg, 1911; FRANZ SCHULZ, *Sebastian Brant. Das Narrenschiff. Faksimile der Erstausgabe 1494 mit einem Anhang*. Strassburg, 1913; HENRY DEXTER LEARNED, *The Syntax of Brant's Narrenschiff*. Dissert. Univ. of Pennsylvania (Philadelphia), 1917; MARIA WOLTERS, *Beziehungen zwischen Holzschnitt und Texte bei Sebastian Brant und Thomas Murner*. Diss. Strassburg (Baden-Baden), 1917; J. RAUCH, *Das Strassburger Plagiat von Sebastian Brants Narrenschiff verglichen mit dem Baseler Original*. Diss. Frankfurt, 1924; A. POMPEN, *The English Version of the Ship of Fools. A Contribution to the History of the Early French Renaissance in England*. London, 1925; DOROTHY O'CONNOR, *Notes on the Influence of Brant's Narrenschiff outside of Germany*, in *MLR*, 30, 1925, 64-70; D. O'CONNOR, *Sebastian Brant en France au XVI siècle*, in «Revue de Littérature Comparée», 8, 1928, 309-317; A. POMPEN, *The English Translations of the Ship of Fools*. London, 1928; R. WARWICK BOND, *Das Narrenschiff ob Brant*, in «The Dublin Review», 187, 1930, 50-68; L. BAUKE, *Das mittelniederdeutsche Narrenschiff und seine hochdeutsche Vorlage*, in «Nd. Jb.», 58/59, 1932-1933, 115-164; H. H. EBERT, *Die Sprichwörter in Brants Narrenschiff*. Diss. Greifswald, Bamberg, 1933; FRED GENSCHMER, *The Treatment of the Socia Classes in the Satires of Brant, Murner and Fischart*. Diss. Univ. of Illinois, Urbana, 1934; EDWIN ZEYDEL, *Notes on Sebastian Brant's Narrenschiff*, in *MLN*, 58, 1943, 340346; ELI SOBEL, *Sebastian Brant, Ovid, and Classical allusions in the Narrenschiff*. Diss. Univ. of California, 1952; HEINZ S. BLUHM, *A Supplement to Zarncke's Note on Brant's Narrenschiff*, in «Modern Philology», 36, 1952, n.º 12; ULRICH GAIER, *Studien zu Sebastian Brants Narrenschiff*. Max Niemeyer Verlag, Tübingen, 1966.

19. *Stultifera Navis*. Basileae, 1497, fol. XI: Sub indice «De inutilibus libris», hos versus invenimus.

«Inter praecipuos pars est mihi reddita stultos

«Primus in excelsa teneo quos nave rudentes
 Stultivagosque sequor comites per flumina vasta;
 Non ratione vacat certa, sensusque latenti,
 Congestis etenim stultus confido libellis.
 Spem quoque nec parvam collecta volumina praebent;
 Calleo nec verbum, nec libri sentio mentem.
 Attamen in magno per me servantur honore,
 Pulveris et cariem plumatis tergo flabellis.
 Ast ubi doctrinae certamen volvitur, inque
 Aedibus in nostris librorum culta supellex
 Eminent, et chartis vivo contentus opertis,
 Quas video ignorans, et vano lumine solor.
 Constituit quondam dives ptolomaeus, haberet
 Ut libros toto quaesitos undique mundo,
 Quos grandes rerum thesauros esse putabat;
 Quis sive non poterat vitae disponere cursum?
 En pariter teneo numerosa volumina, tardus
 Pauca lego, viridi contentus tegmine libri.
 Cur vellem studio sensus turbare frequenti?
 Aut tam sollicitis animum confundere rebus?
 Qui studet assiduo motu fit stultus et amens.
 Seu studeam seu non, dominus tum esse vocabor
 Et possum studio socium disponere nostro,
 Qui pro me sapiat doctasque examinet artes.
 At si cum doctis versor, concedere malo
 Omnia, nec cogor fors verba latina profari.
 Theutonicos inter ballos sum maximus auctor,
 Cum quibus incassum sparguntur verba latina.
 O vos doctores, qui grandia nomina fertis,
 Rescipite antiquos patres jurisque peritos;
 Non in candidulis pensabant dogmata libris,
 Arte ingenua sitibundum pectus alebant.
 Auriculis asini tegitur sed magna caterva.»

Desiderius Erasmus memoriam Sebastiani Brant, praesertim ob
Navem Stultorum, his extulit verbis ²⁰:

«Ornarunt alios suae Camoenae,
 Ornas ipse tuas magis Camenas;
 Multos patria reddidit celebres,
 Urbem tu celebrem, celebriorem.
 Multo constituis, Sebastiane,
 Lingua, moribus, eruditione,
 Libris, consiliis, severitate.

Prima; rego docili fartaque vela manu.
 En ego possideo multos, quos raro libellos
 Perlego; tum lectos neglego, nec sapio».

20. *Phalecium Erasmi Epigr.* Basileae, 1518, p. 349.

Sic cum foenere plurimos rependis
 Acceptum decus, e tuo vicissim
 Illustrans, patriamque litterasque.»

Ipsa Erasmus in litteris Wimphelingo dicatis, in laudem magistri Brant, haec sincera mente scripsit ²¹:

«Nam Sebastianum Brant, ut eximium, extra omnem ordinem et aleam pono; quem ego virum, mi Wimphelinge, tanti facio, sic amo, sic suscipio, sic veneror, ut magna quaedam felicitate pars accessisse mihi videatur, quod illum coram intueri, coram alloqui et amplecti contigerit».

Hoc demum iudicio, quod Trithemius in *Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum* de Sebastiano Brant protulit, hanc brantianam disquisitionem finiamus:

«Sebastianus Titio ²², alias Brant, argentinensis, natione teutonicus, utriusque juris professor insignis, et tam divinis scriptis quam aliis saecularibus litteraturae disciplinis egregie doctus, poeticam non mediocriter callens, ingenio subtilis, eloquio disertus, consilio actione praecipuus, qui sua eruditione atque lucubratione Basileam inclitam Germaniae urbem ²³ mirum in modum exornat. Scripsit tam metro quam prosa quaedam haud contemnendae lectionis opuscula, quibus nomen suum divulgatum reddidit. [Sequitur praecipuorum Sebastiani Brant operum index; cum vero de *Navi Stultorum* loquitur haec memoranda scribit:] Compilavit praeterea mira arte et ingenio, vulgari tamen et vernacula lingua libellum quendam, quem *Navem Narragoniae* ²⁴ appellavit; in quo causam et radicem omnium stultitiarum adeo eleganter expressit, mores hominum carpit et quaedam, salutaria remedia singulis tradit, ut non jure stultorum librum, sed divinam potius satyram opus illud appellasset. Nescio enim si quid

21. P. S. ALLEN, *Opus Epistolarum Des. Erasmi Roterodami, denuo recognitum et auctum*. Oxonii, Clarendon, MCMVI-MCMLVIII, tom. II, p. 21.

22. Pseudonimo «Titio» appellatus est Sebastianus Brant, propter similitudinem sensus *Brant* in lingua germanica et *Titio* (*titionis*) in lingua latina.

23. Tunc temporis Basilea civitas erat germanica. Post pacem inter germanos et helveticos Basileae pactam anno 1499, Basilea, quae in bello neutri parti foverat, helveticis confoederationibus inhaesit, atque demum a germanico populo discessit anno 1501. Quod Sebastianus Brant aegre tulit et, Basilea derelicta, Argentoratum petiit.

24. Hac ratione vocatur, quia post indicem *Stultiferae Navis*, auctor haec addit: «Narragonicae profectionis nunquam satis laudata Navis».

tempestatis nostrae usibus salubrius aut jucundius legi posset. Ajunt eum magnopere religiosis ac devotis viris non minus utilis quam jucundus»²⁵.

Atque illud est maxime mirandum quod hoc Trithemii judicium scriptum est anno 1495, post annum, tantum primae editionis basiliensis lingua germanica editae. Quid ergo diceret si, anno 1521, post mortem Sebastiani Brant, mentem suam aperiret de universa et copiosa nimis librorum editione clarissimi argentoratensis scriptoris?

JOSEPHUS JIMÉNEZ DELGADO, C. M. F.

In Universitate Salmanticensi litterarum latinarum Professor

25. *Catalogus illustrium virorum germanorum...* dni. JOHANNIS TRITHEMI, abbatís spanhemensis... 1495, fol. 63 (v).

C A R M I N A

NENIA VIRGINIS SANCTISSIMAE AD PRAESEPE

Dormis puer! Sed interim micantia
Conspiciunt oculi
Isti polorum sidera!

Siles Puer! Per istud at silentium
Dulcia colloquia
Cum patre caelesti seris!

Vires tui potentis in res influunt
Numinis assidue
Quo cuique detur firmitas.

Rerum pater cum sis et altor omnium
Ubera plena tibi
Qui lactis ausim promere?

Sol, luna, stellae lucis e pulchris tibi
Dant operam nitidum
Radiis amictum texere!

Pannis egestas cogit his me vilibus
Aetheream pueri
Velare divi gloriam.

Ancilla, quae tuum ad sublime sustuli
Lumina vix solium,
Tua filia dicor et parens!

AD DIVINUM INFANTEM

*Apparuit Benignitas et Humanitas Salvatoris
Dei Nostri! (Ad Titum III, 27)*

Istuc, Nate Deo, stabulum est tua regia turris
 Stipatorum ubi sunt bos asinusque loco;
 Quo via per rimas trucibus patet undique ventis,
 Non tamen et penetrat luce nitente dies?
 Sidonio praefers pecudum praesepe cubili
 Mollita stipulis asperitate parum.
 Ac ne forma quidem est infantis visa pudori
 Nec quod fasciolae membra tenella ligent.
 Nec terrae renuis lacrimarum prima tributa,
 Indicat hoc teneris guttula sparsa genis,
 Expletaque fame vitali pectoris amne
 Cantu somniculos mater inire docet.
 Quam jucunde oculi pascuntur imagine pacis
 Quam cunarum utens ipse quiete refers!
 Res quam laeta quoque est matris te cernere pressum
 Ulnis sollicitis condere et ora sinu!
 Omni deposita vis majestate videri
 Totus amabilis et pellere corde metum.
 Terrigenum sic magne Deus tibi quaeris amorem
 Quem tibi jure tuo legeque debet homo!
 Ecquis non deamet potshac te, Parvule Dive,
 Dummodo ne pectus saxea corda tegat.

1. *Anno ineunte.*

Nunc sto in vasto arvo
 Et hinc respicio
 Et tempore in parvo
 Hanc viam facio.
 Recordor gaudiorum
 Necnon miseriae...
 Nunc beneficiorum
 Agantur gratiae!

Nam Deus secundavit
 Nos mancos homines.
 Is saepe fortunavit
 Et fecit sospites.
 Per annum ordientem
 Nos pascit undique
 Et lucem dirigentem
 Det in itinere!

Quid annus novus feret?
 Fortasse ultimus!
 Sed quidquid nobis geret
 Nos tolerabimus.
 Sit faustum et amicis
 et nobis omnibus!
 Tu, Deus, benedicis:
 Securi ibimus.

2. In fundo cordis mei
 Imago Fili Dei
 Impressa enitet.
 Crux juvat contristatum
 Et fluctibus jactatum;
 Salutis saxum eminent...

3. *Crux in Via*

Quid sibi vult crux prope semitam,
 Salutans quemvis fessum advenam?
 Haec ait: Christus crucem toleravit
 Et tibi caeli viam demonstravit!

Quid sibi vult crux prope semitam,
 Salutans quemvis fessum advenam?
 Haec viatorem omnem exhortatur
 ut sequens Christus crucem patiat.

Quid sibi vult crux prope semitam,
 Salutans quemvis fessum advenam?
 Si tu portaveris hic gravem crucem,
 Ascendes olim aetheris ad lucem!

4. *Triá festa Christianorum summa.***I**

Quam laetissima,
 Beatissima
 Festa sunt Natalicia:
 Jesus est natus
 Mundus postratus!
 Gaude, gaudeto, Christicola!

Quam laetissima
 Beatissima
 Festa sunt Natalicia!
 Christus descendit,
 Suos defendit:
 Gaude, gaudeto, Christicola!

Quam laetissima
 Beatissima
 Festa sunt Natalicia!
 Caelo venerunt,
 qui cecinerunt:
 Gaude, gaudeto, Christicola!

II

Quam laetissima
 Beatissima
 Festa sunt Pascalia!
 Christus euectus,
 Mundus abiectus,
 Gaude, gaudeto, Christicola!

Quam laetissima
 Beatissima
 Festa sunt Pascalia!
 Mors superata,
 Vita prolata:
 Gaude, gaudeto, Christicola!

Quam laetissima
 Beatissima
 Festa sunt Pascalia!
 Robur praebetur
 Homo sacretur!
 Gaude, gaudeto, Christicola!

III

O laetissima
 Beatissima
 Festa Pentecostalia!
 Spiritus placat,
 Consecrat, pacat.
 Gaude, gaudeto, Christicola!

O laetissima
 Beatissima
 Festa Pentecostalia!
 Duc per virtutem
 Nos ad salutem!
 Gaude, gaudeto, Christicola!

O laetissima
 Beatissima
 Festa Pentecostalia!
 Nos consolare,
 Spiritus care,
 Gaude, gaudeto, Christicola!

DE PYRAMIDUM AENIGMATE ET HISTORIA

Quicumque Aegyptum lustrat, suum esse ducit pyramides videre. Quot saecula gigantes illi lapidei conspexerunt! Ante florentissimaum Mesopotamiae cultum, ante clarissima Graeciae artificia, ante terminos imperii Romani ad ultimam Thulem prolatos pyramides molem ingentem in altum tollebant. Quamquam tempus tot urbes celeberrimas plumbeo veluti pede contrivit, stabant illi immortalitatis testes neque «imber edax» nec «fuga temporum» demoliri poterant. Si quis intellegere velit, cur Aegyptii montes illos saxeos coacervarint, mentem hujus populi perspicere oportet. Erat enim religiosissimus nec corpus post animae discessum larvam inutilem credebat, sed tegumentum, quo anima amplius uteretur. Persuasum firmiter habebat vinculum inter animum et corpus morte non dirumpi, sed alterum de alterius nexu tam arcto pendere, ut nec corpus sine animo nec animus sine corpore existere posset; quo plus corpus dissolveretur, eo majorem animae partem iri ereptum; corpore penitus putrefacto animam quoque desituram existere.

Quae si ponderamus, pyramidum aenigma Romanis olim vix solvendum clarescere incipit et quibus praecipue Aegyptii studiis in vita ducerentur, facilius cognoscimus. Discendum enim iis erat qua arte corpora condirent, ne putrefierent et quomodo sepulcra exstruerent, ut cadavera humana et per diu et tuta a praedonibus conservarentur. Et vere fatendum est eos artem optime didicisse et clarissimos evasisse architectos. Ad sepulcrum igitur quivis Aegyptius tota vita intentus erat. Pauper vili tumulo humi acquiescebat, dives autem omnem operam et curam ad id conferebat, ut animae corpore egressae vitam tutaretur beatam. Jam quid de Pharaonibus dicendum? Namque non solum reges et summi sacerdotes erant, sed et «semidii» ideoque eorum corpora divino honore digna. Regis erant omnes Aegypti fines et incolae omnes exceptis sacerdotibus et ducibus militaribus servi. Idcirco non mirum videtur, quod exempli gratia Khu-fu Pharaonem per centum incolarum milia intra triginta annos sibi pyramidem exstruendam curavit, quam nec aetas arroderet nec fures expilarent. Omnes regni vires dynastae illi exhaurire non flocci facere solebant.

Quicumque admiratione defixus ante pyramides vel obeliscos steterat, ipse se interrogare coepit, quomodo Aegyptii saxa tanti ponderis e loco in locum deportare et tam sublimem —ad centum et quinquaginta metra— elevare potuerint. Quam quaestionem per diu disceptatam archaeologi tandem diremerunt. Etenim in sepulcro circa duo milia annorum a. Chr. exstructo lineamenta quaedam inve-

nerunt, unde apparet, quomodo architecti Aegyptii tantas moles asportarint. Inducit namque pictor ille centum et quadraginta septem viros statuam immensam per arenam sola lacertorum vi trahentes. Cum pyramides peraltas excitabant aggeres, qui altitudini earum responderent facere et per eos vel ingentia saxa trahere consuescebant. Porro in caedendis saxis eadem arte simplici utebantur. Rupem quippe immanem incidebant et in fissuras cuneos aptos agebant et aqua implebant. Jam cunei tumefacti rupem secundum fissuras a toto rupis corpore separabant. Quot machinis artificiosis architecto hodierno opus est ad molem v. gr. aliquot milium kg. in altum levandam! Carebant Aegyptii ejusmodi machinamentis et tamen levabant patienter.

Qui nostra aetate pyramides invisit, fingere vix potest, qualis olim vita circa eas fuerit. Namque sepulcrum non solum corpori pacificus ad quietem locus erat, sed etiam domus animae, alterius «ego» hominis. Credebatur Pharaos mortuus saepe in sepulcro versari atque ea agere, quae in vita egisset: edere, bibere, ludere ideoque omnibus, quibus indigeret, providebatur. Nolebat rex oblivione obliterrari. Mos erat, ut sanguine juncti atque amici ad eum ventitarent et in parvis sacellis pyramidi contiguis, quae mortuo essent necessaria, collocarent. Si quis Pharaos humanus, affabilis, pius fuerat, posterum diutissime curam eorum, quibus indigeret, habere et sacrificare pergegebant. Nec tamen haec sufficere putabant. Nonne accidere poterat, ut cognati officium pium neglegerent? Huic quoque casui consulere consueverant. Exemplo illustro. Cum archaeologi aulicorum sepulcrum prope Sakharam effodissent, muros omnes picturis ornatos invenerunt. Omnes fere picturae vitam rusticam praesentabant: agricolas arantes, semen spargentes, segetes maturas triturantes triticumque molentes, vaccas et tauros depascentes. Nec vita domestica deerat: animalia mactata et igne assata. Qua de causa Aegyptii ejusmodi picturis sepulcra ornabant? Ideo fecerunt, ut, si forte cognati mortuo cibos apponere obliviscerentur, ille demum aspectis cibis saturaretur.

Quemadmodum gentes multae in regum sepulcra omnia vel pretiosissima, quibus in vita utebantur, inferre solebant, ita et Aegyptii currus, mensas, sellas, toros, omnium generum vasa, summam auri argentique vim, coronas lituos regibus apponere solebant, adeo ut nihil desiderarent. Incredibile sane quantae divitiae congestae fuerint. Sed quod reges timebant, id ipsis primis temporibus contigit. Praedones nefasti tantis allecti thesauris monumenta regia expilarunt. Quapropter Pharaones pyramides minores majoribus anteferebant easque tantis dolis tantisque artificiis —scalis et aditibus caecis— exornabant, ut neminem quamvis astutissimum introrumpere posse arbitrarentur.

Sed spes eos fefellit. Omnes enim deinceps pyramides expilatae sunt. Idcirco Pharaones posterum monumenta, quibus conderentur, in

valle quadam ab omnibus urbibus hominumque frequenta remotissima exstruenda atque ex ipsis saxis excidenda curabant. In hac valle, regia posthac dicta, inde ab anno MD usque ad annum M omnes Pharaones se sepeliri iusserunt spe adducti se a praedonibus tutos fore. Nam ut priores ita etiam posteriores majorem divitiarum partem una secum in sepulcra abdi curaverunt. Ita vallis regia stupendam triginta regum gazam continebat accumulata. Quanta praedatorum esca! Nonne omni in indagando et expilando periculo dignae illae divitiae? Numquid celari monumenta poterant? Norant operae, qui tenuem ac duram vitam trahebant. Norant et architecti. Vix credendum eos locum reticere. Constat historia nonnullos Pharaones omnes operas loci sepulcri conscios interfecisse. Cum potentes et perhumani Pharaones regnabant, sepulcrum venerationi esse solebat. Sed cum imbecilli et crudeles erant, nulla jam monumenta a praedone tuta. Passim et publice expilabantur et custodes constituti primas faciebant partes.

Exstat quoddam de expilatione documentum. Pevero urbi sepulcrali praefectus accusatus erat, quod una cum praedonibus regium sepulcrum expilasset. Negat accusatus. Sed praedones furti participes eum redarguunt in equeo positi et tormentis vexati. Delectat expilationis relationem audire: «Aperuimus sepulcrum et arcam cum nobili regis corpore invenimus. Collum multis amuletis aureis et ornamentis cinctum. Velamenta, quibus erant involuta, deaurata et pretiosissimis intexta lapillis. Caput persona aurea tectum. Omne aurum, amuleta et ornamenta avellimus. Invenimus quoque reginam et pariter fecimus. Etiam omnia vasa aurea et argentea abstulimus.»

Cum aetatis nostrae saeculo XIX et XX effodiendi ars e rudimentis ad perfectionem esset adducta, archaeologi europaei via ac ratione opus aggredi coeperunt. Interim gubernium Aegyptium collegium constituerat, cui antiquitatum cura concrederetur. Nec multo post accidit, ut familia quaedam arabica res valde pretiosas peregrinantibus europaeis venderet. Quod gubernium ut comperit, praedones in vincula conjecit. Inter tormenta sunt confessi se res e sepulcro quodam abstulisse. Paratos se esse viros publicos eo deducturos. Delegat igitur gubernium hominem aegyptium, Aemilium Brugsch et ducem quendam. Cum in vastam vallem, ubi collis leniter ascendebat, pervenissent, subito dux digito foveam monstravit. Haec duodecim metra lata et bina in quadratum erat. «Estne hic sepulcrum», quaerit Brugsch? «Est», respondet dux. Vix credit ille. Tamen se fune in nigram foveam demittit. Pede tangit solum, circumit angulum, devenit in cubiculum grande multis arcis regiis refertum. Palpitat cor audacis exploratoris plus solito. Detexerat enim corpora Pharaonum, qui ante triginta saecula regnant et inter eos erat unus ex illustrissimis totius historiae aegyptiae Ramses II, in cujus aula Moses adoleverat. Gaudent magnopere exploratores, sed

dolent, quod nullum adhuc sepulcrum invenerint intactum. Hanc gloriam fortuna aliis est datura.

Duo enim viri angli, Lord Carnarvon et Howard Carterus persuasum habebant non omnia in valle regia monumenta nec fuisse inventa nec expilata. Carterus professione archaeologus fuit et admodum doctus. Carnarvon a puero artium amantissimus quascumque poterat res antiquas collegerat. Cum valetudinis infirmae reficiendae causa in Aegypto versaretur, casu Carterum cognovit sibi socium junxit. Idem igitur studium utrumque tenebat. Eodem ferme tempore fragmenta imaginibus picta et nomine Pharaone Tut-ench-Amun inscripta reperta sunt. Inde rumor manabat totam vallem regiam penitus esse expilatam.

Sed dissensere nostri exploratores. Quam dissensionem duo urcei inventi confirmabant, qui testas earum rerum continebant, quae in pompa funebri Pharaonis adhibitae esse viderentur. Ideo sepulcrum haud procul distare viri nostri sunt arbitrari. Jam autumno a. MCMXVII fodere coepere. Negotium perdifficile. Omnia rudibus impleta. Quinque annos integros asportandis rudibus impendebant. Tandem area quaedam restabat cumulata runis tuguriorum lapideorum, quibus operae in sepeliendo Ramses II usi fuerant. Sed hanc arcam religione quadam ducti initio effodere cunctabantur.

Tandem opus die festo omnium Sanctorum MCMXXII sunt aggressi, inscii quantopere fortuna ipsos esset adiutura et fautura. Namque quarto fossionis die Carterus gradum planum ex saxo excisum invenit ac vix oculis credidit. Illico amplius effodere operas iussit. Postero die duodecim gradus scalae alicujus lapideae patebant, quorum infimus in portam obsignatam et caemento oblitam designabat.

Velut fulgure tactus stupet Carterus. Sed crescit stupor, cum explorator in inferiore portae parte sigillum Pharaonis Tut-ench-Amun conspicit. Vix halitum ducere audet. Tot labores totque difficultates non frustra impensas intellegit. Dum portam effringit, cuniculus lapidibus plenus obstat. Postridie, ubi primum lapides asportarunt, aliam portam eamque obsignatam offendunt. Sed ex certis indiciis eam apertam et iterum clausam coniciunt. Perforat Carterus, lumen infert foramini, animalia, statuas, summam auri vim cernit. «Potestne aliquid videre?», quaerit Lord Carnarvon ex socio. «Res admirabiles», respondet. Jam in cubiculo veluti in museo maximo tria sunt feretra deaurata, duae statuae regiae, quae se ut custodes adspiciant, scrinia, lecti, sellae, alabastra, solium auro cinctum, nonnulli currus. Sed arcam cum regis corpore desiderat.

Quam dum inquit, animadvertit statuas memoratas tertiam portam pariterque obsignatam occultare. Quanto studio eam effringendi flagrabat! Sed negotium procrastinare malebat. Postridie novum quid invenerunt. Murum cubiculi aliquo loco perforatum viderunt. Cum admoto lumine electrico per foramen inspexissent, alterum cubicu-

lum iisdem fere rebus pretiosissimis confertum ante eos patebat. Sed omnia confusa et mixta ut in alio cubiculo jacebant. Praedones igitur introruperant, sed nescio quo casu turbati ab opere expilationis destiterant.

Jam quid faciendum? Alliciebat quidem cubiculum inventum et res coacervatae. Sed nostri homines erant moderati nec caeco studio ducti. Non prius pergere volebant, quam omnes res, ne earum aliqua periret, diligenter notassent, purgassent pulvere, photographia eas expressissent inque tuto collocassent. Negotium arduum eos multos menses tenuit. Tandem illuxit dies quo porta illa aperiretur. Carterus, mortuo Carnarvon, viginti testibus stipatus, lumine electrico tenebras dispellente, portam terebravit, ut introsiceret. Cernit aliquid muri simile, quod ex puro auro confectum videatur. Dum foram en amplificat, cubiculum sepulcrum conspicit et murum illum nil aliud esse nisi scrinium ingens sarcophagum continens. Porta rescissa, Carterus cum socio ingressus ante scrinium quinque metra altum, tria metra latum et quinque metra longum, totum auro connectum consistit. Ab uno latere valvae artificiosae fulgent. Obicem removet, valvas aperit, alterum scrinium valvis quoque ornatum videt et sigillum regium intactum. Ergo regem quoque intactum, a nullo praedone scelesto expilatum concludit. «Cartere, brevi videbis regem, qui trecentos supra tria annorum milia hic requieverat nulla manu nefarie attactum». Dum lumine electrico cubile perlustrat, ecce portam offendunt in tertium cubiculum ducentem. Intran, stupent de thesauris accumulatis. E regione portae stat arca quaedam scrinii similis, auro tecta et circum nonnullae Mortis Deae brachiis passis —artificum venustissimum— tamquam si scrinium custodiant. Vix exploratoribus respirandi facultas. Intermittunt opus. Cum resumunt, «signa Orci» Anubidem et tauri caput vident. Praeterea multa scrinia nigra, arculas, cistas eburneas, omnes fere intactas.

Quae posthac sunt secuta, profecto fabulam dixeris. Carterus cum aliquot gubernii viris publicis ultimam negotii partem est aggressus. Sarcophagus regius quattuor scriniis circumdatus fuit. Quibus aegre amotis verus sarcophagus ex uno lapide pretioso confectus in conspectum venit. Nonnullae Mortis Deae ex eodem lapide excisae passis brachiis et alis totum sarcophagum velut custodes amplectuntur. Eductis intra mensem scriniorum fragmentis Carterus plus solito suspensus ultimum quasi mysterium patefecit dramate dignum. Elevant operae summi ponderis cooperculum. Apparent lintea complicata. Carterus dum removet arcam tantae pulchritudinis ac venustatis conspicit, ut defixus sacro stupore maneat. Arca ipsa regis formam habet, caput aureum, manus aureae super pectus decussatae lituum tenent. Facies aurea, oculi lapilli pretiosissimi, in fronte puerili «anguis et vultur» —utriusque Aegypti symbola— mirifico emblemate facti. Atque circum eos corona florida parva a regina vix adulta —ut putat Carterus— posita. «Inter omnem pompam re-

giam nihil tam pulchrum tamque suave quam flores illi marcidi, qui paulum coloris retinebant.»

Jam supremam dramatis scaenam spectemus. Recte Carterus divinarat arcam memoratam esse cooperculum. Quod postquam operae sustulerunt, altera arca apparuit, in modum figurae regis facta, splendidissima et laminis aureis tecta. Cujus cooperculo elevato tertia arca est visa ingentis ponderis, tota aurea. Aurum omne et arca et quod in ipsa arca inventum fuerat, pretium 2 1/2 000 000 dollarorum habebat. Tut-ench-Amun quamquam adulescens nec rex magni nominis, tamen summa pompa sepultus fuerat. Quanta ergo pompa illustrissimorum Pharaonum! Hinc liquet praedones omne studium omnemque operam in eo collocasse, ut sepulcra regia invenirent. Haec ii quoque cogitabant, qui stupefacti ante arcam Tut-ench-Amun constiterant. Jam cooperculum ansis aureis levant. Jamque regis corpus ipsum apparet. Facies persona facta auro caelato contacta, corpus plurimis rebus pretiosis oneratum. Sub persona diadema venustissimum, circum collum amuleta et torques, in pectore laminae aureae. Circumdant brachia armillae intextae lapillis et involucra aurea cingunt femora, tibias et pedum digitos, soleae aureae pedes ipsos. Universae res centum quadraginta quattuor. Omnes pretiosissimae. Tremunt manus, dum Carterus has omnes examinat. Nemo adhuc explorator tale quid invenerat. Quae triginta tria saecula in tenebris jacuerant, ea, tu, Cartere, in lucem protulisti. Macte patientia tua!

DE RE COSMONAUTICA

(eam, quae in n. 207 est edita, pars septima sequitur)

(LII) Tertio idus julias, a. MCMLXIX, quinquagesimo quinto minuto post tertiam initam vigiliam (quarta hora post mediam noctem apud Italos), aeronavis *Luna 15* appellata —ut per aetherias undas nuntium est a Moscua diffusum— nullum vehens hominem, in inmensum ad lunarem superficiem versus jacta est, quae in satellitis solum levi lapsu collineetur, diligentius explorandi causa nec non et comprobandi an varia instrumenta, quibus eadem aeronavis est instructa, suas quaeque partes plane expleant. Non secus agitur, ut paucis expediamus, ac de quadam automata capsula, in Terram, quodam lunari praestituto loco pervestigato, reditura, cum lapideae ac pulvereae illius nostri satellitis aliquantum collegerit materiei. Quam quidem materiem fieri potest ut rei cosmonauticae Foederatarum Russiae Civitatum peritissimi viri recipiant atque alchimiae studiosis in Terra spectandam tradant antequam aeronavis *Apollo 11*, tres americanos cosmonautas vehens, in sublime jaciatur, in ipsam Lunam, decimotertio kal. aug., collineanda.

Memnisse juvat illam rei gerendae rationem, quae a *Luna* nomen acceperit, initium habuisse mense jan. MCMLIX: hinc, varias automatas capsulas, *Luna 1*, *Luna 2*, *Luna 3...*, in ordinem, usque ad decimam quartam subsecutas esse; quae tamen cunctae ob varias causas praestitutum fefellerint consilium; hodiernam capsulam, *Luna 15*, Communistarum Russiae Civitatum moderatores magnopere sperant felicem exitum, tamdiu exspectatum, explere tandem posse.

En, interim, quatridui peracto itinere, ipsa *Luna 15* in lunarem orbitam immittitur. Nihil novi verumtamen Russica pervulgandis nuntiis Sedes usque ad octavum post jactum diem de ea diffusit; cum subito, quamvis Moscua percaute sileat, compertum habetur illam, in saxosam lunaris soli plagam diffissam, jam nullum amplius de se transmisisse nuntium.

(LIII) Postridie idus jul. MCMLXIX, tricesimo altero minuto supra horam nonam (tricesimo altero m. supra horam tertiam post meridiem apud Italos; cum temporis supputatio inter Foederatas

Americae Civitates et Italiam sex horis differat) a Sede automatis capsis nec non et cosmonautis viris in sublimia extollendis constituta, apud *Cape Kennedy* plagam, quam appellant, jam toto orbe terrarum celeberrimam, tres cosmonautae, *Neil Armstrong*, *Edwin Aldrin*, *Michael Collins*, aeronavi impositi, cui nomen *Apollo 11*, sunt ad lunarem oram versus profecti. Hoc rei gerendae propositum: ut lunare solum humano pede calcetur, nec jam automate palmula effodiens, seu quoddam prehensans brachium, aliquantulum satellitis humi temptet, praecipiat, in Terram cosmonauticae rei studiosis perscrutandum transportent, sed potius ut duo e tribus exploratoribus aliquantum lapidum, pulveris et quovis aliud lunaris materiae experiendum suis ipsorum manibus praecipiant, colligant, in Terram transportent; ut, ne sermo longius producat, primum ab origine mundi caeleste corpus, universi praesertim gentium coetus nomine, absque ulla armorum vi, verum tantum ad populorum concordiam firmandam, occupetur et pro majoribus deinceps inveniendis rebus in alia atque alia saecula semper adhibeatur.

En, igitur, primo ac dimidio orbe circum Terram peracto, cum jam per ampliissimam nubem ac fumosam nec non et per gliscentem fragorem manifestus est jactus factus, cum et eadem nubes e luteo colore in alios varios colores, roseum nempe, croceum, purpureum, glaucum distincta sit, aeronavis *Apollo 11*, dum effrenus spectantium multitudinis gliscit plausus, celerius prosequi iter pergit, motoriis ignei jaculi *Saturno 5* machinulis propulsa, ut, vi terrestri gravitatis superata, in *Lunam* recta demum conlineetur. Biduo autem post, seriore post meridiem tempore, e capsula principe *Apollo 11*, cui agnomen *Columbia* est additum ob similitudinem fortasse repertae a *Christophoro Columbo* Americae, duo e tribus *lunautis*, *Neil Armstrong* et *Edwin Aldrin*, in temptandae lunae vehiculum, cui recens est superadditum agnomen *Aquila* ob similitudinem fortasse avium reginae volatus, praeterquam quod sit potestatis imago, quod et compendiariis notis *LM* (e nomine *Lunar Module*) dicunt, per interiorum obscurum cuniculum sensim reptantes se transferunt, qui pervestigent si forte quasvis illud vehiculum in quaque volatus vicissitudine sit usque ab initio jacturas passum. Tertio ab initio itinere die, altero et vicesimo minuto (primo) supra septimam post meridiem horam (italice computatam), cum nihil jam dubitarint quin suum quaeque instrumenta, quibus est idem temptandae lunae vehiculum (seu *Aquila*) instructum, aptissime adhuc et congrue munus perficiant, *lunauti* viri aëronavem *Apollo 11* in lunarem immitunt orbitam.

Aliquanto autem post, cum certiore se fecerit suas quibusque in lunari navicula (*LM*) instrumentis, tamquam animantibus, compositas et ordinatas esse partes, cosmonauta *Aldrin*, qui, nullo alio comitante, in eam erat ingressus, postquam in principem capsam

rediit: —*Nullam unquam*— admiratus obstupuit —*tam congrue et apte machinam se gerere vidi!*— Quartus jam ab inito itinere est interim fere dies consumptus, cum cosmonautae *Armstrong* et *Aldrin*, reptantes, in vehiculum lunare (*LM*) seu *Aquilam* sunt rursus ingressi, ibique quattuor integras horas morantur, dum illud e principe capsula (*Apollo 11*) seu *Columbia* sejungatur, e cujus orbita, adhuc, moderatore cosmonauta *Collins*, servata, in aliam inferiorem orbitam immittitur, quindecim vix chilom. intervallo a Terrae satellite distans. Hinc, extremus magis ac magis leniter in temporis momenta efficitur descensus, dum duodevicesimo minuto supra decimam post meridiem horam (apud Italos computatam) lunare solum idem vehiculum (*LM*) seu *Aquila*, pulveris nube involutum, jam demum tangit, quod et quibusdam pedibus flexibili machinamento instructis, firmiter tenet.

Eo trepidior quo longior subsequitur mora, quae animos excitat et ad conjecturas de quovis inopinabili casu faciendas inducit: nihil interim de duobus cosmonautis accipi potest; cum denique comperit habetur eos summam dare operam ad vehiculi instrumenta diligentius inspicienda nec non et exspectare dum externa pressandi vis minuatur, ne impediatur quominus ejusdem vehiculi reseretur ostium. Quo, complures post horas, reserato, *Armstrong*, per breves gradus, alterum pedem prius, ambos postea quam qui maxime cautus lunare solum calcare conatur, cum prae corporis levitate tardius ambulare cogatur. Eum, paullo post, *Aldrin* comes sequitur. Primum nuntium *Armstrong* emittit, cum: —*Hic, praecipua* —inquit— *Tranquillitatis Sedes* (nam *LM* in quadam constitit plaga, ad solis occasum vergenti, quae *Tranquillitatis Mare* appellatur); *hic, Aquila solum tetigit*.

Mox inde lapidum fragmenta atque pulveris specimina colligere ambo coeperunt; nec aliud sibi negotium curae est, nisi Foederatarum Americae Civitatum vexillum, nullius venti fluxu agitatum, solo ante fixerint nec aliud nisi Pauli VI nuntium scriptum posuerint, quod his verbis expletur: ad Dei nominis gloriam, qui tantam praestat hominibus virtutem, miro huic incepto bene precamur; non equidem ut cujusquam *Lunae* partis possessores, sed ut quosdam nunc temporis advenas, deinceps autem humani generis pacificos colonos se praestent. Cum autem, post dimidiam supra duas horas, deambulandi finem fecerint, in naviculam lunarem (*LM*) sunt rursus ingressi, ut membra cibo somnoque reficiant; inde, quinto a perfecto jactu die, hora post meridiem octava, se a solo lunari eadem navicula expedit atque extollit, seu, ut rectius definiamus, superior ejus pars ab altera, soli adhuc fixa, sejungitur et iter aerium aggreditur, ut cum aeronavi principe (*Apollo 11*) conjugantur, quae, tertio cosmonauta *Collins* gubernatore, adhuc *Lunam* circumitur. Primum enim illa, paucis post temporis momentis, in orbitam lunarem im-

mittitur; inde, tribus circiter exactis horis, ejus harpagones, maxillarum instar, aeronavis principis (*Apollo 11*, seu *Columbia*) adeo rostrum comprimunt, ut cosmonautae *Armstrong* et *Aldrin* in eandem ingredi demum sinantur.

Hinc, ad oram terrestrem redeundi habetur initium. Itinere denique expleto, cum terrestris gravitatis vim superaverit, aeronavis *Apollo 11*, adapertitium umbellarum ope, dum e sublimi adhuc labitur, captata, super Oceani Pacifici aequora est leniter deposita, ampliore distans spatio ab insulis *Hawaii* quas dicunt. Mox inde in cymbam gummeam translatos cosmonautas singulos aëria quaedam machina helicis instructa, non rectius quam *auto-gyrus* appellata, ad perpendiculum descendens, magna cum peritia ac sollertia intorto chalybeio funiculo sustulit et in superno navis *Hornet*, aërovehicula gerendo instructae, quae a viginti tribus milibus passuum eos exspectabat, tabulato deposuit.

Dum et hos tantos heroas dignissimus in patria triumphus manet, permultas omnipotenti Deo, quem jam iidem propitiaverunt, gratias libentissimo agamus animo.

T E N E O T E ... L U N A ! ¹

En, igitur, captam te, Luna, quid usque tenemus?

Dic: hucusque nimis nonne sit ausus homo?

Daedalus ille tamen, caelos qui primus inivit,

Istas num timuit carpere forte vias?

More suo silet et subridet in ore renidens,

Seu riget ipsa gelu, seu calor assat eam.

Talis erat vixdum caelo librata sub alto:

Mutatam nihil a tempore prorsus eo.

1. Haec locutio nos commonet de alia huic simili locutione, qua est Julius Caesar usus, cum, *etsi prolapsus in egressu navis, verso ad melius omine: Teneo te — inquit — Africa!* (C. SVETONIUS = *Vitae Caesarum*).

V. 5: subjectus gramaticalis = Luna.

O quoties volitans praesensit lambere Lunam,
 Ceum tegumen scaphium totus amictus, homo;

Vitae, machinulis, quaerens indicia primum,
 Terrae pertaesus, deinde, manere ratus!

Num meliora vides, caelestis, forte, viator?
 Comminus ut pleno lumine Luna micet?

Temperiemne cupis, terricola, nocte dieque?
 At frigus riget, hic, aestus itemque calet!

Non ager, hic, pomum, nec flores educat annus;
 Non salices ripis, virgula nulla viret!

Est Phoebe —dicitis— pulcherrima dicta poetis:
 Hic, tonitru tangi aut fulgure nemo potest;

Non boreas, hic, non praeceps hic saevit et Auster:
 Ut modo luce nitet, sic modo fusca latet.

Num vero tot, ut in Terra, tueare stupenda?
 En qua fluminum aquae, qua maris unda fluit;

Qua montes, valles, rivis silvisque scatentes,
 Fontibus, arbustis, floris odore beant;

Qua cytisum carpunt foliumque armenta salicti;
 Pascit pastor oves aera avesque secant.

Non zephyrus tepidus nec cuiquam bruma nocebit...
 Cur, igitur, spatium quaeris, homulle, poli?

Perfugium quaeris, terrestria vana perosus?
 An polus iste recens, Terra vetusta nimis?

Ecquid at, ergo, lucri valeas adscribere stellis?
 Desuper aspiciens, ista profecto notes:

Non audis Terram motu fremituque sonantem:
 Ipsa, atomos quaedam, visa pusilla rotat;

Non acies audis in fratres arma ferentes,
Membra nec inde quidem caede cruenta vides.

Munere divino semper, seu pace, frueris:
Non aliud poterit dulcius esse lucrum!

Prof. JANUARIUS MARINELLI
Via Salvatore Rosa, 241
Neapoli, in Italia

CERTAMEN CAPITOLINUM XXI

Institutum Romanis studiis provehendis, auspiciis Summo litterarum artiumque apud Italos Curatore et Romanae civitatis Magistro, ad novum prosae latinae orationis certamen omnes omnium gentium latini sermonis studiosos homines invitat, sperans fore ut ex nobilissimorum ingeniorum concertatione aliquid emicet, quod Quiritium majestate facundiaque sit dignum.

Certaminis praemium, quod Urbis Praemium nuncupatur, erit argenteum sigillum, lupam Capitolinam imitatum, honorificentissimum Romanae civitatis munus, in basi victoris nomen atque annum et diem certaminis praeferens. Huic sigillo Summus litterarum artiumque liberalium Curator quingenta denariorum Italicorum milia ex aerario adici jussit.

Ceteri petitores, qui digni habiti sint, laude ornabuntur. Ex iis autem qui victori proximus de agone discesserit, argenteo nummo decorabitur, a civitate Romana item donato, qui in antica parte Capitoli imaginem, in aversa litterati viri nomen atque annum diemque certaminis exhibebit. Huic quoque muneri Summus litterarum artiumque liberalium Curator ducenta et quinquaginta milia denariorum Italicorum ex aerario jussit addi.

Exitum certaminis a. d. XI Kal. Mai. a. MDCCCCLXX, die Urbis natali, in aedibus Capitolinis, Romanae civitatis Magister in oratione, quam de more habiturus est, renuntiabit.

Scripta quae praemio ornabuntur typis excudenda, si visum erit, curabit Institutum Romanis studiis provehendis, ac proinde post annum tantum integrum erit auctoribus eadem in lucem edere.

LEGES CERTAMINIS

1) Fictis fabellis, commentariolis historicis, disputationibus philologis, denique omni prosae eloquentiae genere certare licet: sed praestantium ingeniorum nova experimenta Capitolinum Certamen requirit. Scripta quibus petitores certabunt ne puerorum gymnasiis sint destinata, ne mille et quingentis verbis breviora, *ne prius in lucem edita, ne alio praemio ornata neve laude, neve ex alio sermone sint conversa.*

II) Quinque libellorum suorum exemplaria vel machinula scriptoria perspicue exarata vel typis excusa et tabellariorum diligentiae commendata mittant scriptores aemuli ad *Istituto di Studi Romani — Ufficio Latino — Piazza dei Cavalieri di Malta, 2 — 00153 Roma* a. d. XVIII Kal. Febr. proximi anni non suo tamen distincta nomine in integimento quidem, quo conclusa sunt, sed sententia munita, quae eadem inscripta sit scidulae obsignatae, nomen domiciliumque scriptoris exhibenti.

III) Quinque viri iudices erunt a Summo litterarum artiumque liberalium Curatore et a civitatis Romanae Magistro et a Praeside Instituti nostri delecti. Hi post iudicium scidulas resignabunt, quae easdem quas scripta probata sententias praeferant. Scripta non probata, si repetita, reddentur: sin minus, una cum scidulis obsignatis, tertio exacto mense post iudicium publicatum, delebuntur igne.

D. Roma Kal. Jun. a. MDCCCCLXVIII ab U. c. MMDCCXXII.

PETRUS ROMANELLI
Praeses Instituti

HORIS SUBSICIVIS

MISSUS IN MUNDUM *

Obstetrix puerum sanum et validum
monstrat recenter in lucem hanc editum.
Missa in mundum est nova progenies,
ut prorogetur mortalium series.
Candidis natus opertus amictibus
patrem laetificat crebis vagitibus,
avum et aviam; tota prosapia
magno cum gaudio stat ad cunabula.
Ecce, hereditas Domini filii ¹:
ut tela manibus sunt sagittarii.
Felix ex ipsis repleta cui pharetra,
eum confundent non cum hoste jurgia.
Quamvis effeta renidet matercula,
aspicit natum cum magna laetitia.
Prolis edendae affectus divinitus
sic est in matrum visceribus inditus,
ut genetrices exstare percupiant,
subolem ut in dolore parturiant.
In adiutorio facta est femina,
salvet humani ut generis semina
Editae subolis superant gaudia,
decem tulerunt quae menses fastidia.
Utpote novum salutant homunculum

* E litteris nobis ab auctore datis haec praebemus: «Modicam commentationem de panis et utilitate et historia nuper confectam, nec non carmen versibus rhythmicis Alexandrinis, quos vocant, de fetali vita humana horis subsecivis concinnatum mittere tibi audeo. Spero fore ut istis meis nugellis locus in commentariis «Palaestra Latina» praebeatur... Non pro munere linguam latinam doceo, sed medici radiologi artem in valetudinario publico exerceo. Subsecivis tantum horis litteris latinis operam navo, non solum proprii oblectamenti causa, sed etiam pro viribus —o quantum exiguis!— studens ut latinitatis flamma non restinguatur, sed clariore in dies luce coruscet».

1. Ps. 126,3.

hunc, cujus vita vix cepit exordium.
 Sed qui visibilis nuper apparuit,
 matris in utero diu jam viguit.
 Vixit infantulus bis quinque mensibus
 firmiter clausus maternis visceribus,
 praestans humani haec corporis fabrica,
 animae rationalis domuncula.
 Adsimilata est crescens in gremiis
 tot animalium classibus variis,
 nam ontogenesi brevi recolitur,
 quod phylogenesi lente perficitur.

Deus omnipotens sapientissimo²
 mundum creavit hunc suo consilio,
 recto composuit omnes res ordine,
 ut nihil fieret casu vel temere.
 Eo loquente creata sunt omnia,
 caelum et sidera, tellus et aequora,
 plantae et bestiae, non tamen subito,
 sed longo admodum temporis spatio.
 Et animantium varias species
 prompsit saeculorum innumera series:
 primum aquatica, ceteque grandia,
 pisces et volucrum omnia genera,
 et hexaemeri die sunt ultima
 facta terrestria cuncta quadrupeda.
 Quibus creatis ad suam imaginem
 Sator omnitenens condidit hominem,
 centrum et culmen, qui rerum est omnium³,
 quidquid in terris ad eum dispositum,
 quem animantibus cunctis praeposuit,
 formas avitas repetere voluit.

Nunc adjutorio fretus dominico
 loqui adgrediar, quantum potuero,
 quae de abscondita fetus crescentia
 docti rimati sunt cum diligentia,
 quaeque a nostris remota conspectibus
 in femininis aguntur visceribus,
 cum animalibus quae sit relatio
 ponat in mediis haec disputatio.

2. Gen. I.

3. Conc. Vat. II. Const. «Gaudium et spes».

Quod liberatum est in cyclo menstruo
ovum mulieris rupto folliculo,
et fecundatum est masculo spermate,
suscipit iter ad uterum propere.
Ovum dividitur: fit chromosomatum
mixtio. Parens uterque dimidium
fert, ut eorum servetur et numerus
et prorsus novus sit homo sic genitus.
Constat ex unica homo nunc cellula,
ut animalia sunt primigenia,
ut amoebaea sunt atque rhizopoda,
polythalamia et mastigophora.
Partium habet quod non discrepantiam
integram hominis tenet substantiam;
quamvis membrorum non est differentia,
ad evolvendum jam omnis potentia.
Fetus servandus a cunctis est noxiis,
vita tuenda cujusvis ut hominis.
Idem est animam nasci non sinere
atque nascentem vel natam perimere.
Occisionis de nil differt genere,
quod est in fructibus jam est in semine.
Fit hujus cellulae crebra divisio,
divisione hac multiplicatio.
Sic ex hac cellula ortus est globulus
constans ex cellulis multis aequalibus,
mori conspicuus similitudine,
nidum in uteri ponit pariete.
In duas partes deinde dispescitur
fructus, ut cellulae sint quibus pascitur.
Vides ex alia parte succrescere
corpus: mox poteris formas distinguere
Germen circumdatum latice limpido
nam membranaceo sacco pellucido;
amnion nuncupant. Isti vesicula
juncta est parvula et transitoria
plena vitelli. Recolitur breviter,
quod est in bestiis essentialiter,
sicut aviculis, sicut reptilibus
est embryoni vitelli hic sacculus.

In longitudinem germen protrahitur,
versus umbilicum leviter flectitur.
Embryonale succrescit corpusculum:
e quo futurum exoritur cerebrum,

potest neuralis discerni jam tubulus.
 Juxta est organum simplicis habitus.
 Chorda dorsalis vocatur hoc organum,
 branchiostomati lubrico proprium.
 Chorda tum diffluit, tamen residuum
 manet ad vertebrae perquam exiguum.
 Ut oriuntur ex parvis initiis
 saepe res maximae, sic ex primordiis
 crescit simplicibus admodum cerebrum,
 quod intellectui est domicilium.
 Integri cerebri prima initia
 tres sunt vesiculae, quarum est maxima
 propior caudae: cui denominatio
 est rhombencephalon. Aequa formatio
 cerebri cernitur in animalibus
 vitam in fluctibus aquae degentibus.
 Cito vesica augetur anterior,
 tarde sed media, tarde posterior.
 Cortex ex illa vesica perficitur,
 qui in reptilibus primum conspicitur.
 Istis et omnibus avibus levia
 sunt hemisphaeria sulcis carentia.
 Habet hujusmodi corticem embryo
 mense lunari tum sexto vel septimo;
 sensim distinguitur in superficie
 sulcorum gyrorum vicissitudine.
 Ita sulcatus est in quadrupedibus,
 mole sed maxima est in hominibus.
 Hic sunt praetoria lata memoriae⁴,
 hic sunt imagines rerum reconditae,
 quas non absorbit prorsus oblivio,
 praesto sunt nobis ex hoc promptuario.

Item succrescens et alia schemata
 exhibet embryo piscibus propria.
 Ut sine dubio notum est omnibus,
 omnes pisciculi carent pulmonibus,
 sed oxygenium branchiis hauriunt,
 per quas vapores in sanguinem transeunt.
 Branchiae quoque sunt hominis fructui,
 nulli quae licet inserviant usui:
 membra haec mox transformantur propterea,
 ut oriantur pharyngotympanica

4. Augustin. Conf. X, 8.

tuba cum tribus ossiculis, tympani
 cavum et auris interuli muscoli.
 Ossa durissima, firma fulcimina
 totius corporis atque munimina,
 molem ingentem quae hominis sustent
 sales calcarios plurimos continent.
 Menti commenta poetica subeunt,
 quae de origine hominum facta sunt.
 Ossa telluris vocati sunt lapides
 quibus jactatis post tergum sunt homines
 orti. Deucalion Pyrrhaque conjuges ⁵
 terris ex omnibus soli superstites
 restauraverunt post magnum diluvium
 fere extinctum jam genus mortalium
 hoc modo, cum protulisset oraculum
 rite consultum responsum ambiguum.
 Inde perdurum est genus mortalium,
 qua sit origine dat testimonium
 natum. Sed mythi posthabita fabula
 es sequamur quae perseverantiâ
 viri in studiis docti reperta sunt ⁶.
 Felicitatem hominibus conferunt
 studia: namque per ipsa conquirere
 queunt coronam florentem scientiae,
 super incultos excultum quae elevat
 et Creatori mortales adsimilat,
 per excellentiam suam scientia
 ducit mortales, ut mundi mysteria
 melius sardent. Et verus philosophus ⁷
 sic veritati sit unice deditus,
 ut non mutare sententiam pudeat
 eum, si veritas suadet vel postulat.
 Namque eorum pars, quae scimus, maxima,
 est pars eorum, nescimus quae, minima.

Nunc revertamus ad thema propositum,
 ossium vobis monstremus exordium.
 Quod in adulto est homine osseum,
 cartilagineum aut membranaceum
 in embryo fuit. Sic animalia

5. Ovidium, *Metam.* I, 384 sqq.

6. Pius II, *Bulla de fundatione Universitatis Basileensis*.

7. Guilielm. Harvey: «*De motu cordis*» (1628).

simplicis ordinis habent fulcimina
 ex cartilagine, puta selachii,
 chondropterygii et plagiostomi,
 item cyclostomi. De analogia⁸
 quae inter plantis sit et animalia
 admodum doctus vir scite disseruit
 et per exempla nos varia docuit.
 In embryo ut nihil est ossei,
 sic nil in arboris germine lignei,
 nam et in arbore, id quod est ligneum
 primum fuit viride sive herbaceum.
 Ut sunt circumdatae arbores cortice
 sic periosteo ossa velamine.

Simplex utriculus, hoc est futurum cor,
 fetus totius vix corpore brevior.
 Tales ex tunicis tubi teneribus
 facti videri jam possunt in vermibus.
 Uter curvatur in flexus dupliciter
 et dissipatur tum ter transversaliter:
 ortum est corculum uno ventriculo
 praeditum necnon et unico atrio.
 Talia corcula possident bestiae,
 quibus pro pulmone sunt branchiae tenerae.
 Fetûs cor simile post animalibus
 in quibus dumtaxat unus ventriculus,
 duo sed atria, ut in serpentibus,
 in salamandris, lacertis, bufonibus.
 Sicut contingit cor in animalibus
 calidioribus, puta volucris
 et quadrupedibus, sic et in hominibus
 mense secundo dissipatur amplius:
 postquam transversim divisum est corculum,
 in longitudinem excrescit carneum
 septum: ventriculi duo sunt atria
 duo, sunt quattuor vasa praecipua.
 Quod Aristoteles jam observaverat,
 cunctis nunc notum est: corculum palpitat
 in embryonibus primo initio,
 sic in hominibus die vicesimo.
 Animi sedem cor esse et sensuum
 tulit communis opinio veterum,
 membrum corporeum sed est veraciter,

8. Aloysium Galvani: Lectio XVI de ossibus (1768).

consulens homini mere carnaliter.
Cavus est musculus indesinenter qui
sanguinem pellit per corpus et fluxui
valvulae sic moderantur, ut transeat
hinc cuncta organa eaque nutriat,
illinc pulmonum alveolos permeet
et oxygenio inde se oneret.

Quod diu notum firmavit nuperrime
facinus clarum: chirurgus in homine
corde pro debili, diu quod languit,
cor adhuc vegens prudenter substituit.
Nuper defuncti avulsum de pectore
cor implantavit audaci conamine.

In animalibus ut fere cunctis fit
fetus corpusculum in caudam desinit,
et in adulto sunt caudae residua
ossa sub cute latentia parvula.

Quomodo facta sint aures et oculi,
manus pedesque et decem bis digiti,
hepar lienque et vasa sanguinea,
renes, pulmones et organa splanchnica,
prorsus praeteream ego silentio,
ne longa gravet vos enumeratio.

En, praeformata sunt omnia organa,
sunt bestiarum sublata residua;
totum corpusculum crescit nunc jugiter,
augentur organa fere aequaliter.
Si satis grandis est, in mundum editur,
alens funiculus quoque dirumpitur.
Sed ab altrice disjunctus non penitus
lac ducet infans de matris uberibus.
Corpus solitis e tenebris proditum
nunc incolatûs commovet mysterium.
Armis inflexis, compressis luminibus
refocillatur insuetis halitibus.
Sed risiones condiscet mox edere⁹
et genetricem ridendo cognoscere.
Sensim aetate quo magis provehitur
eo parentibus magis subtrahitur.

9. Vergilium, Eclog. IV, 60.

Anni qui evolant tum cursu rapido
versibus persequi memet abstineo.
Corpus subjectum est mutationibus,
fit infans puer et adolescentulus,
fortis et potens vir, senex decrepitus,
donec per mortem dissolvitur penitus.
Tunc corpus hominum est esca vermium,
cinerum grumus vel piscium pabulum.

At nobis dedit ad tempus qui vivere,
vitam de morte scit etiam facere:
quos moriendi contristat condicio¹⁰
resuscitandi solatur promissio.
Corpus novellum humano tunc generi¹¹
erit, subiectum in cunctis spiritui,
homo carnalem habebit substantiam,
corruptione sed carnea insciam.

DTR. GUSTAVUS WALLNER Vindobonae scripsit
Hansi Niese · Gasse 3
A - 1190 Wien XIX

10. Missale Rom. Praef. pro Defunctis.

11. Augustin. Civ. Dei. XXII, 24.

BIBLIOGRAPHIA

CROVARA, L. — *Heliotropia*, Sarzanae, apud Canale Typographum, MDCCCCLVIII.

Romanos permagni titulos habuisse nemo ignorat, praesertim cum posteris aetatibus traderent quae Senatus Populusque consulisset vel egisset. Neque alienum mihi videtur cum Theodoro Ciresola congruere, qui doctissimus vir acutissime perspexit Latinam linguam peraptam esse ad hos titulos inscribendos, utpote quae maximam haberet in dicendo cum elegantiae tum simplicitatis.

Aetate nostra Linus Crovara per otia sua titulis alia ratione ac Romani usus est cum perpauca vellet et animi motus explicare et quid sentiret exprimere de rebus variis atque diversis. Neque re vera mihi videtur Lini Crovara carminibus hoc nocumento fuisse, ejus titulis numeros deesse; ad afflatus enim poetarum inter omnes constat satis admovere animi ardores.

Inter complures titulos quos in libro Lini Crovara legimus maxime mihi videntur admiratione digni tituli illi quos de natali solo scripsit auctor noster, in quibus jucundas memorias ac gratas juvenilis aetatis (cf. p. 30: *Non sum qui fui*) tam novo animo atque robore recreat poeta ut populari suo cuidam paene invidet, qui, brevior aetate proventus, diutius natale solum amare potest (c. p. 58). Neque praeterire possumus saepius a poeta laudari pingendi artifices illos, Antonium Discovolum atque Renatum Birolla, qui tabulis vicum suum posteris immortalem fere tra-

diderunt (cf. pp. 44, 46, 48), cum poeta ipse verbis suis *pingat*, si hoc verbum usurpare licet, linter illud undis oscillans, quos "excitat murmur suadetque somnos", dum "avis in alto tractim canit mele/tacetque" (cf. p. 34). Plura etiam natalis soli poetae in animo sunt atque memoria et cum de liquore ex racemis canit, quod "Andreas Rollandi/acrem ita solebat expromere" (cf. p. 50) et cum multo graviora dicit de feminarum cura atque aegritudine, quae "viros procellosos suos noctibus expectabant" (cf. p. 62). Hoc sit sane gratissimum poetae animo argumentum, tamen minoris non faciamus titulos de musicis, ubi cum saepe Beethoven canit poeta, tum etiam cantores memorat, qui vulgo maxime probantur, exempli gratia Nillam Pizzi atque Odoardum Spadaro. Neque vero spernendi sunt tituli illi *de artificibus*, inter quos cum Berthus van Ellinkhuizen carissimus poetae sit, non minoris habetur artificium atque vis et Amleti Tondini et Theodori Ciresola et Ferdinandi Brignola. Tota demum nostrorum temporum vita in carminibus Lini Crovara est, ita ut ne ludicra quidem certamina desint (cf. titulum de Felice Gimondi, p. 154; de Odoardo Ottoz, p. 156; de Abebe Bikila, p. 160). Heliotropii titulum denique memorare liceat, quod est proemium totius operis, et de illo liber hic inscribitur. Heliotropium e sole haurit calorem "bona, candida rerum semper ipse aspiciam" (cf. p. XIII).

ANTONINUS GRILLONE

D'AGOSTINO, V. — *M. T. Cicerone, Cato maior de Senectute*. Introduzione e commento. Società Editrice Internazionale, Torino, 1968. Pag. XXXIX-124. Lire 1000.

Haud parvo oblectamento fore putamus lectoribus qui clmi. Prof. V. D'Agostino legerint opus a Societate Editrice Internationali Augustae Taurinorum vulgatum, cum exemplum exstet eximium quo modo scriptores classici pro alumnis exornandi sint atque illustrandi.

Nam Prof. D'Agostino diutino in munere docendi labore assuetus novos quasi experientiae fructus et magistris et alumnis largitur. Primis hujus editionis paginis praecipua numerantur opera ad textum ciceronianum, ad commentationem, ad interpretationem, ad scripta de Cicerone in universum, ad quasdam historiae philosophiae notiones habendas, ad sermonem atque vocabula, ad tractatus de senectute cet. quoquo modo spectantia (p. V-VIII). Deinde luculenta occurrit introductio, ubi Prof. D'Agostino haec breviter quamvis scite tractat: Inquadramento del "de senectute" nella produzione letteraria di Cicerone; Epoca della composizione; Epoca fittizia del dialogo; Il titolo; Il destinatario: Attico; Il protagonista: Catone il vecchio; Le opere di Catone; Lelio; Scipione Emiliano; Il contenuto dell'opera; Pregi e difetti della composizione. Finalità dell'opera; Le fonti; La forma dialogica; Il tema della vecchiaia nell'antica letteratura; La fortuna del "de senectute" (p. IX-XXXIX). Denique textus, cui praeit in unoquoque capite quaedam mentis ciceroniana summa, quodque quamplurimis annotationibus ad penitus cogitata Ciceronis intellegenda illustratur. Quod commentarium pro certo

habemus professoribus alumnisque in deliciis fore.

O'BRIEN, M. J. — *The Socratic Paradoxes and the greek Mind*. The University of North Carolina Press. 1967. Pag. XIV-249. \$ 6.00.

M. J. O'Brien, Prof. disciplinarum classicarum in Studiorum Universitate quae in urbe Toronto sedem habet, rem difficilem aggressus est: paradoxa seu asseverationes Socratis investigare quibus philosophus affirmat virtutem esse cognitionem nullumque hominem consulto perperam agere. Quinam harum doctrinarum fontes et in vita graecorum et apud philosophos graecos videantur, quem sensum etiam apud Platonem haberent, num ea relinqueret simul atque philosophiam suam ad summum perduceret atque perpoliret, alte sciteque id sibi proposuit auctor investigandum.

Decem et plures dialogi platonici — e primis, e mediis, e postremis — discrimini atque disputationi subiciuntur. Hoc plane verum patet: philosophiam moralem platoniam unam eandemque tota Platonis vita ad extremum usque perseverare immutatam paradoxaque socratica nucleum esse mentis atque cogitationis platonicae; Platonem autem paradoxis eam naturam proprietatemque tribuisse ut nemo id insimulare audeat simplicitatis philosophicae; quamlibet Platonis opinionem (paradoxa ne exceperis) non seorsum sed quasi in contextu universae philosophiae platonicae conspiciendam esse.

In postremo capite auctor de illis criticis rationibus agit recentibus quibus falso asseritur Platonem omnia causis suis obnoxia esse (determinismo) credidisse, cum contra multum contulerit philosophia platonica ad

veram germanamque tum libertatis tum voluntatis naturam describendam.

LEONARD, P. — *Vocabulaire pratique du grec*. Collection Lavency, Editions J. Duculot, Gembloux, 1968. FB 125.

Qui propositum auctoris in hoc lexico condendo cognoscere velit prima introductionis verba legat, ubi ita ejus consilium declaratur: "En publiant ce vocabulaire de base du grec classique, nous n'avons pas l'ambition de remplacer d'autres travaux beaucoup plus complets; notre but, comme indique le titre de l'ouvrage, est essentiellement pratique. Nous voulons permettre à l'étudiant d'aborder, sans recourir trop souvent au dictionnaire, un bon nombre de textes de la prose grecque classique".

In opere circiter 1800 vocabula continentur (conjunctionibus, praepositionibus, adverbis inclusis), distributa in 700 series seu familias. Quae vocabula primaria, ut auctor ipse animadvertit, ad normam lexicorum graecorum a Prof. M. Desportes (Editions O.C.D.I., Lutetiae Parisiorum) et a Prof. M. S. Byl (Editions Des-sain, Leodii) in lucem editorum, collecta sunt non nullis aliis vocabulis adjunctis.

Omnes hujus lexicij voces per familias et per alphabetum ordinantur; quarum praecipuae voces, id est, verba - capita unde reliquae originem ducunt rubricis rubrisque numeris insigniuntur, quibus indices extremi operis respondent. Ita haec verborum distributio memoria eis comprehendendis admodum favet necnon totius voluminis usui atque utilitati. Alumnus enim —quasi in ludo quodam linguistico— familiaria sibi efficere discit vocabula eorumque prae-verbis, vo-

ces derivatas, mutationes vocalicas, cet., ita ut graecarum vocum copia facile augetur. In extremo volumine index graecus et franco-gallicus alumnis maximae erit utilitati.

CALENDARIUM LATINUM. — *The Orbilian Society Newsletter*, 1968.

Cum expectaturi nunc simus novum calendarium latinum in annum 1970, ignoscant tamen lectores quod, propter angustias hujus partis commentariorum seu sectionis bibliographicae, Calendarium currentis anni 1969 a societate quae inscribitur "The Orbilian Society Newsletter" editum modo offeramus.

Ut superioribus annis Calendarium Latinum 1969 forti optimaque papyro alba est elaboratum, pulcherrimis imaginibus pictis exornatum, ubi videri licet per menses decem distributa tota vita privata romanorum: domus, vestes, coquendi modus, aulae, ludi, corporis exercitia, nundinae, sacrificia, nuptiae, funera.

KIRSOPP MICHELS, A. — *The calendar of the roman republic*, Princeton University Press, 1967. Pag. XVI-227. \$ 7.50.

Hoc libro Dmna. Agnes Kirsopp Michels calendarium prae-julianum Romae olim usurpatum restituendum curavit, fastorum investigans conjunctiones cum annis solaribus lunaribusque.

A. Kirsopp Michels quam variae res in calendario contineantur inquirat argumentisque confirmat fastos cum vita publica ac religiosa romanorum saeculo primo a. Chr. n. conjunctos esse. Historia idcirco calendarii jam inde a saeculo V restituitur atque revocatur ut dilucide ostendatur

quo pacto quibusque gressibus simplex festivitatum series evadere potuerit implicatissimum serae rei publicae documentum.

In appendicibus non nullas invenies disputationes de quaestionibus technicis quae vocantur, ut de dierum interpositione (intercalación), de diei proprietatibus divisionibusque, de historia "trini nundini", cet.

JOURNEES D'ETUDES 37. — *Ministère de l'Education Nationale et de la Culture*, Bruxelles, 1967. Pag. 93.

Ministerium Educationis Nationalis Belgarum optimis edere solet auspiciis disputationes seu lucubrationes de rebus classicis. Quod mirum, egregium, imitandumque exemplum nostris temporibus exstat Ministeriis Educationis aliarum nationum europaeorum.

Hoc volumine acroases continentur a Societate Studiorum Latinorum Bruxellis annis 1964-1965 habitae, quarum indices rerum auctorumque iis, qui legerint, hic prostant: Marcel DURRY, *Travaux récents sur Pline le Jeune* (résumé, p. 5-8); René FOHALLÉ, *Le latin vivant* (p. 9-34); Joseph VEREMANS, *La métrique en fonction de la compréhension des textes latins* (p. 35-57); Marcel LEGLAY, *Archéologie et littérature dans l'Afrique romaine, Rapport entre les documents archéologiques et les oeuvres littéraires* (p. 59-78); Albert MANIET, *La stylistique et son application au commentaire des textes latins* (p. 79-92).

KASTEN, H. — *Plinius Secundus: Briefe*. Tusculum-Bücherei, Ernst Heimeran Verlag, 1968. Pag. 710. DM 38.

Quanto animi capieris oblectamento si legendas Gaii Plinii Secundi

Caecili epistulas ab E. Heimeran editore vulgatas manu sumpseris studiosa! Epistulas dico Plinii Secundi decem libris collectas, nobilissimas inter omnes antiquitatis epistulas. Id agitur ut verissimas litteras legas, quamvis evulgandas consensit Plinius, amico Septicio suo hortante: "Frequenter hortatus es, ut epistulas, si quas curatius scripsissem, colligerem publicaremque... superest, ut nec te consilii nec me paeniteat obsequii" (1,1,1-2).

Magnam rerum varietatem hae litterae praebent legenti, inter quas eminent illa notissima celeberrimaque Vesubii montis ardescentis descriptio. Libro decimo litterae continentur invicem inter Plinium Bitiniae praefectum datae et Trajanum imperatorem, ubi antiquissima omnium descriptio publica primorum christifidelium invenitur.

Textus latinus castigata interpretatione germanica instructus maximam voluminis partem occupat (p. 6-991), appendicibus operi imponentibus finem cum notitia de Plinii vita, annotationibus ad textum, variis codicum lectionibus, indice nominum propriorum, indice geographico, chartis ac descriptionibus duarum Plinii villarum rusticarum Laurenti Tuscorumque (p. 662-710). Novum nova hac Plinii editione credimus meritum sibi esse Domum Heimeran adscripturam.

BERTINI, F. - BARBARINO, G. — *Studi Noniani I*. Istituto di Filologia Classica e Medioevale, Università di Genova, 1967. Pág. 252.

En duae maximi momenti lucubrationes de Nonii Marcelli opere. Prima a F. Bertini conscripta, quae "Errori nella tradizione manoscritta della "Compendiosa Doctrina" inscribitur, has partes seu membra ha-

bet: 1. La Compendiosa Doctrina e la "Tradizione indiretta". 2. Omissioni, inversioni, interpolazioni. 3. Semplice per composto, composto per semplice ed errori affini. 4. Singolare per plurale e plurale per singolare. 5. Arcaismi. 6. Errori di flessione nominale e verbale. 7. Errori e varianti relative a preposizioni, congiunzioni, avverbi. 8. Errori con i nomi propri. 9. Errori grafici. 10. Per una nuova edizione della Compendiosa Doctrina. Conclusione (p. 9-66).

Quibus omnibus quam plurimae suscitantur quaestiones quae ex textu Nonij exoriuntur simul atque viae ad eas explicandas illustrandasque aperiantur, praesertim vero quod ad locos a Nonio in opere suo memoratos scriptorum latinorum et in primis Varronis sectat.

Dein altera lucubratio J. Barabini, cui est index "I frammenti delle "Historiae" di Lucio Cornelio Sisenna". Magnum quidem impendit laborem J. Barbarino e quam plurimis locis a Nonio in opere "Compendiosa Doctrina" memoratos tanquam fundamenta jacere contendens ad reficiendas "Historias" L. C. Sisennae, quarum fragmenta tantum exstant non nulla, quae a J. Barabine cum opere Nonij subtiliter sciteque in hac investigatione comparata (p. 69-191), typis mandata eduntur indice siglorum, apparatu critico, indice nominum, verborum et locorum instructa atque illustrata (p. 195-250).

WILKINSON, L. P. — *Horace and his lyric poetry*. Cambridge University Press, Bentley House, London, 1968. Pag. 186. 10s net.

Professoris L. P. Wilkinson nomen ex munere docendi et ex operibus nimis est cognitum. Nunc vero hoc opere id sibi proposuit auctor li-

brum de Horatio ejusque lyrica poesi iis in primis destinatum exarare lectoribus qui ne linguae quidem latinae peritis vatem venusinum adire atque cognoscere vellent. Maxima pars enim fragmentorum Horatii vernacule sunt conversa.

Horatius apud Prof. Wilkinson poeta Carminum Epoderumque exstat sumus. Ut plerique poetae romani Horatius, si pulcherrima fudit carmina, eorum tamen argumenta ipse non invenerat, cum in locis communibus quae vulgo appellantur includerentur. Attamen Horatius canendi suo genere, vi sua in dicendo, numero atque rhythmo hujus modi argumenta communia ita recreavit ut cujusque aetatis legentes jucundissime caperentur.

Liber scitissimis commentariis illustratus quibus Prof. Cantabrigiensis novas res tum in minimis tum in maximis poematis invenit, non tantum studiosis poeseos latinae peritis commendatur, verum etiam iis qui latinum sermonem legere non possint vel raro quid latinum interdum legant; namque omnibus Horatii amantibus arridebit opus novosque lectores venusino vati conciliabit.

POTTS, L. J. — *Aristotle on the Art of Fiction*. Cambridge University Press, Bentley House, London, 1968. Pag. 94. 7s net.

Prof. L. J. Potts in prooemio historiam operis patefacit: amplis locis maximorum criticorum memoratis Aristotelis vim atque auctoritatem ejusque sententiarum sensum illustrare ac significare contendit. Annotationibus plurimis investigantur opiniones ac judicia quae hic inde Aristoteles in operibus passim profunderet solet.

Hunc parvum librum Prof. L. J. Potts offerre cupit lectoribus praeser-

tim qui disciplinae litterarum studio si parum tamen vel nihil graecum intellegant sermonem, ut quam propius commodiusque ad textum aristotelicum accedant. Quod propositum ad rem perfecit summa fide, ea tamen condicione ut denuo textum Aristotelis retractans lectionesque antiquitus traditas revisens, ab eis interdum, cum sibi jure videatur potissimaeque rationes adstent, audeat dissentire.

Qui et veteribus et recentibus litteris vacant, cum librum hunc legerint, majorem erga Aristotelem animo concipient amorem admirationemque, simul atque clmo. Prof. Patts Maximas habebunt gratias quod certas majorum opiniones cum novis eisque audacibus composuerit atque conciliaverit.

GASPAROTTO, G. — *Il Petrarca conosceva direttamente Lucrezio*. Padova, 1968. Pag. 49.

GASPAROTTO, G. — *Lucrezio fonte diretta del Boccaccio?* Società Cooperativa Tipografica. Padova, 1968. Pag. 34.

Duo de re lucretiana Prof. J. Gasparotto ad nos misit opuscula quae judicio critico recenserentur. Primo tamen opusculo, quod excerptum est libelli Academiae Patavinae vol. LXXX (1967-1968), pag. 309-355, Prof. J. Gasparotto autumat totum quasi contextum Petrarcae originem recta ducere a Lucretio, qui rem materiamque eclogae IX, "Querulus" (Buc. Carmen), suppetiit universae. Quod ut perspicuum planumque faciat, utrumque auctor poetam examini sibicit utriusque carmina conferendo. Manifesta enim videntur verba verbis cogitata cogitatis congruentia: rhythmus logicus, pares textus

clausulae quibus integra lucretiana hemistichia repetuntur, eorundem argumentorum similitudo: a) hominis infelicitas cum nequaquam absolutae spei compos est; b) tota hominis vitaluctus; c) vehemens animi aequitatis desiderium; d) labor, paupertas, metus mortis ceteraque.

Altero opusculo, quod eorundem commentariorum patavinorum est excerptum, vol. LXXXI (1968-1969), J. Gasparotto defendit Boccaccium scriptorem, si et Servium et Macrobius et Isidorum et Petrarcam et Paulum Diaconum interdum redolere videtur in describenda pestilentia quae a. 1348 letali pernicie urbem Florentiam vastavit, in primis autem Lucretium ante oculos habuisse, sive in universo argumento redigendo, sive in singulis rebus depingendis, quippe qui Boccaccius mira quadam familiaritate ac libertate incedit intra fines locorum parallelorum lucretianorum, qui ex evidenti similitudine facillime a J. Gasparotto comparantur: a) pestilentiae progressus; b) indicia precessus morbi; c) imagines ex extremae pestilentiae gravitate repercussae; d) morbi per agros propagatio; e) extremae in mortuos officia pietatis.

COUSINET, R. — *La escuela nueva*. Col. "Nueva biblioteca pedagógica", Edit. Luis Miracle, S. A., Barcelona, 1967. Pag. 337.

Clmus. Prof. Rogerus Cousinet jure sine dubio repraesentare potest vividam paedagogiae recentissimae imaginem; nam ipse hujus in dies progredientis disciplinae quamplurimos annos animus virtusque exstitit.

Volumen "Escuela Nueva" inscriptum introductione constat quo colliguntur orationes ad honorem tanti magistri octogesimo ejus anniversario

die natali a discipulis habitas (p. 7-46); tredecim dein insequuntur capita seu scitissimae eximii Prof. R. Cousinet lucubrationes quibus de rebus quaestionibusque maximi momenti apud paedagogos agitur, id est, quid in instituendis pueris "schola nova" significet (p. 47-66), de ratione digerendi studia pro scholis (p. 67-84), quid sit scholarum praeparatio (p. 85-94), de magistri munere atque officio (95-122), de vocatione paedagogica (p. 123-140), de explicatione scholari (p. 141-154), quibus mediis pueri ad studium excitandi (155-166), de oboedientia tamquam virtute (p. 167-182), de poenis atque sanctionibus (p. 183-204), de ratione ac via exprimendi cogitata in "schola nova" (p. 205-236); quo modo pueri ad bonam frugem recipiendi seu corrigendi (237-256), de textuum interpretatione (257-270), de sociali puerorum institutione (p. 271-311).

In quibus omnibus Prof. R. Cousinet egregius apparet paedagogus, qui, semper pueri libertatis observantissimus atque reverentissimus, potius alumnum sese ad vitam conformare edocet quam geographiae, matheseos vel cujusvis disciplinae evadere peritissimum.

BONDEGGER, H. W. — *Intenta cultivar tu memoria*. Edit. Studium, Madrid, 1967. Pag. 76.

Haec libellorum corpus seu collectio germanicae illius seriei est interpretatio quae "TALISMAN" inscribitur quaeque in plurimis nationibus est divulgata. Quae collectio in lucem vulgari coepta est hoc parvo volumine quod exercendae tuendaeque memoriae destinatur.

Si testimoniis quamplurimorum lectorum credimus, quisquis hujus cor-

poris liber hominibus nostrae aetatis maximo est adjumento ad humaniorum vitam reddendam, cum humanae legibus consulere edoceantur easque penitus intellegere. Nam si progredi exoptamus, nos ipsi validiores fortioresque efficere debemus. Quod ad memoriam spectat omnia ejus secreta nobis hominibus sunt temptanda ac revelanda regularum ope atque praeceptorum quae nobis dant psychologi ac paedagogi, ut clmus. Prof. H. W. Bondegger, ad salubritatem valetudinemque memoriae conservandam atque amplificandam.

RIOCEREZO, J. M. L. — *Intenta encontrar tu vocación profesional*. Edit. Studium, Madrid, 1967. Pag. 102.

Proprium tenere locum magni hominis societatisque interest in qua homo commoratur. Cujus rei conscius Prof. J. M. L. Riocerezo quantum momentum sit ostendit in juvenibus hodiernis consilium ac voluntas vitae, muneris officiique in posterum sibi instituendi, si in aliqua re vel disciplina egregii esse volunt eique praeter ceteras studere —quod tempus postulat— hac nostra aetate industriae in primis laborique obnoxia.

"Si pueri —inquit auctor— institutione vocationali quae per juventutem produci debet non provehuntur, actum est de progressu oeconomico, culturali socialique". Prof. Riocerezo juvenes adjuvare contendit quo facilius difficilem vocationem quisque nanciscatur prout ingenii dotes, studia, voluntas atque facultas considerate patiantur.

Quae quidem institutio totius semper hominis esse debet finibus societatis seu communitatis propriae circumscripta. Praeterea auctor nobis os-

tendit quo pacto pueri juvenesque hodie ad munus suum dirigantur quibusque praecipue uti rationibus technicis ad hanc operam debeamus.

MARIANUS MOLINA, C.M.F.

LUISELLI, B. — *Q. Septimii Florentis Tertulliani De Baptismo*. Paravia, Torino, 1968, pag. XXVIII 93.

Domui quoque editrici Paravianae laudi tribuendum est quod pretiosum Tertulliani libellum De Battismo iterum ediderit et Brunonis Luiselli opere commentario quodam critico instruxerit. Cui quidem Tertulliani operi quod ad triginta tantum paginas protenditur ponderosam quamdam praefationem praeficit in qua de Codicibus, de editionibus, de dissertationibus, ad Tertulliani opusculum pertinentibus, fuse et scienter agit Bruno Luiselli. Post textum latinum operis cui longus apparatus criticus subest, optimus commentarius criticus venit et indices diversi quibus magnificum opusculum clauditur.

MARSHALL, P. K. — *A. Gellii Noctes Atticae*. Oxford University Press, 1968. T. I; Libri I-X pag. XXXIX, 336; T. II; libri XI-XX, pag. XV, 337-654.

Ut mea fert opinio, A. Gellii operum codices jam inde a superiore medio saeculo XIX neque perpensa neque dijudicata sunt. Sed nova, quam hodie lectoribus nuntiamus, editio rem totam iterum recognovit iterumque Codicum auctoritatem aestimavit, quorum quidem Codicum non pauci multo antiquiores sunt quam illi primi editores crediderant. Saepissime in hac editione plurima textus allata fragmenta inter se confert auctor hoc sperans, ita comparatis

fragmentis, fore ut fulgentius ipsa refulgeant. In libris 9-20 ejus Codicis afferuntur lectiones qui saeculo XIX repertus est; quo Codice nisus auctor nova proponit argumenta ut melius quae inter diversas lectiones verae sint constituere possimus. Horum duorum operis A. Gellii voluminum ita fere tota res et materia distribuitur: primo volumini praefatio auctoris praeest, in qua non pauca de Codicibus et de ipsa editione enodantur. Postea conspectum editionum videre licet ex quibus fragmenta allata sunt, indicem auctorum superioribus editoribus ignotorum et Codicum sigla. Tandem Gellii textus latinus sequitur a I ad X librum cum brevi critico apparatu accuratissime elaborato. Simili ratione, praefatione exclusa, alterum volumen quod etiam decem libris constat ordinatum invenies; sed volumen exiens duplici indice nominum auctorumque, verborum selectorum absolvitur.

BAYET, J. BLOCH, R. — *Tite-Live Histoire Romaine*; t. VII, l. VII, pag. 120. Les Belles Lettres; Paris, 1968.

Titi Livii ab Urbe condita liber VII in hoc volumine continetur, cuius quidem descriptionem ita paucis complectimur. In duobus primis pagellis conspectus siglorum apparet Livii operis Codicibus respondentium quorum explicatio summatim lectoribus proponitur. Gallica versio et textus latinus, paginis alternis, his postea succedunt quibus in inferioribus paginis notulae non paucae et criticus apparatus prostant. Et tandem in postremis libri paginis, in appendice, de ipso Livii libro VII, de magistratibus, de re militari aliisque auctores disputant. Sed ipsum Livii opus nobis

recensentibus non pauca notanda videntur. Ipsius operis valde inaequaliter distribuuntur. Ita ex viginti quinque annis rerum gestarum quos liber VII complectitur viginti tres duobus tertiis libri partibus absolvuntur; aliorum vero duorum annorum historiam per totam reliquam partem Livius producit; sed, quod gravius est, romanus scriptor nulla fere historica rationis collustratione utitur in rebus gestis narrandis, facta subscribit, ipsorum vero factorum conjunctio saepe non apparet. Quae omnia, lector, in hoc Collectionis "Les Belles Lettres" volumine perpendere ipse poteris.

VIANSINO, J. — *L. Annaei Senecae Hercules furens; Troades; Phoenissae; Medea; Phaedra*; Paravia, Torino, 1968, pag. 325.

Optime jam diu Domus editrix Paravia de viris litterarum classicarum studiosis merita est, quae plus quam sexaginta septem latinorum scriptorum volumina, et quidem summa industria elaborata, in vulgus ediderit. Quam nunc nuntiamus ea quidem altera editio est quattuor Senecae fabularum quas J. Viansino iterum accurate recensuit nobisque legendas proposuit. In hac altera editione conficienda J. Viansino Escorialensi Codice qui in saeculum XIV incidit, usus est. Itaque, post conspectum siglorum, textus latinus quinque fabularum, nitidissime editus, adest. Apparatus criticus, in inferiore pagina appositus, copiosissimus est. Tandem in extremo libro videre licet indicem voluminum quae in Corpore Scriptorum Latinorum Paraviano adhuc vulgata sunt. Jam, si ad fabulas ipsas intendas, Hercules furens 1344 versibus constat, Troades 1179 versi-

bus, Phoenissae quae quidem brevior est, 664 versibus, Medea 1027 versibus et tandem Phaedra 1280 versibus.

JESÚS ASPA, C.M.F.

WARDER FOWLER, W. — *Rome*. 3 edition. Oxford University Press, Ely House, London, 1967. Pag. 117. Price 7/6 net.

Si mihi liber, in quo de romana indole breviter luculenterque agatur, sit commendandus, lectoribus hunc commendem, cui index "Rome" est.

Attamen libellus omnibus latini cultus studiosis tam accurate exartatus esse videtur ut Prof. M. P. Charlesworth, qui novissimam editionem comparavit, vix nihil in eo immutaverit quamquam jam abhinc octo et quinquaginta annos iterum atque iterum typis mandatur.

Nemo est qui libri capita non cognoscat: The Avance of Rome in Italy (p. 11-23); the Training of the Roman Character (p. 23-36); the struggle with Carthage and Hannibal (p. 36-48); Dominion and Degenerancy (p. 48-60). In aliis duobus capitibus agitur de rerum perturbatione ac conversione (p. 60-83); de indole romana ad vitam renascenti, imperante Augusto (p. 83-94).

His aliisque peculiaribus proprietatibus, opus "Rome" inscriptum classicum appellari potest; est enim brevis sed impensa commentatio proprietatum actuosissimi populi romani.

NUSSBAUM, G. B. — *The ten thousand*; a study in social organization and action in Xenophont's Anabasis. E. J. Brill; Leyden 1967, p. 193; 32 guilders.

Librum cum versaverint lectores, certiores fient quomodo hujus dispu-

tationis auctor de classis graecae forma ac dispositione, ad modum cujusdam communitatis compositae, docte ac luculenter disseruerit. Hoc tamen primum caput auctor tantum scripsit ut totius operis opinionem seu conjecturam quam continenter demonstrare conatur. Loquitur primum auctor de militibus gregariis deque centurionibus eorumque muneribus; deinde de ducibus, de ducum contione deque praefecto ducum; denique tandem Prof. Nussbaum subtiliter agit de consilio generali, de ejus compositione atque cum praefecto necessitudinibus.

Illius classis fundamenta et disciplinam et militum sodalitatem et praefectum fuisse, commode in altera libri parte cognoscere poteris; de praefecto tamen praesertim agitur pag. 96-146. Classis formam ut rem unam considerans auctor operi finem ponit.

Operis momentum maximum videtur ex hoc quod G. B. Nussbaum Anabaseos Xenophontis textu prope modo unice usus est.

GORDON, W. — *Tradition and originality in roman poetry*. Ely House, London, 1968, pag. 810. Price 90 net.

Auctor in hoc libro declarare studet, singillatim rem exponendo, indolem romanae poëseos et vias quibus usi nonnulli poetae qui certam sequebantur sectam poeticam, ejusdem rei conscii, quamdam in carminibus condendis novam peculiaremque adepti sunt proprietatem.

Haud obscurum auctori videtur in romana poësi linea esse tamquam dividens quam ipse Horatio emortuo anno octavo a. C. n. circumscribit, quamque etiam invenit cum prima

Ovidii opera investigat poetas revocans superiores.

“In animo habui — ipsius auctoris verbis utar— responsum dare quaestionibus quas ipse per decem annos concepi, atque studiosorum quibuscum in Universitate Oxonii et St. Andreae libenter et jucunde laboravi difficultates solvere.”

Itaque Dr. Gordon agit de rebus tanti momenti ut “The Poet and the Community” (31-102); “The Poetry of Institutions” (355-443); “Truth and Sincerity” (524-578); “Moralizing and Poetry” (578-619) atque de aliis poeticis argumentis. Tanta industria atque eruditione adlaboravit ut cum sibi difficillima quidem quaesivisse credamus, lectoribus autem appetitissima.

Liber tamen non tantum litterarum humanarum scholasticis dicatur sed etiam omnibus rerum litterariarum studiosis; hoc enim magnum opus ei mirum in modum arridebit qui maximorum poetarum humanitatem degustare exoptet; quod nihil aliud est quam indolis humani generis quamdam intimam experientiam habere.

PFOHL, G. — *Greek poems on stones*. V. I Epitaphs. Ed. E. J. Brill. Leiden, 1967. Pag. 93. Price 14 guilders.

In veteribus litteris graecis nondum corpus epigrammatum est, quamquam libri et optimae lucubrationes exstant. Cujus rei conscii auctor, qui sese tamquam si hinc inde passim excerneret fragmenta gessit, litterariam lacunam quodam modo adimplere conatus est. Haec tamen textuum minorum collectio etsi exiguis circumscribatur finibus, verumtamen plurimos continet textus epigraphicos qui hac collectione adhibiti facilius inves-

tigari possunt.; quo praecipue libro, perpauca hujus generis poetici exempla, cum ordinate disposita sint, commode investiganda reperientur. Ratio ac via quibus usus est auctor in exarando libro haec est: distributio poematum geographica, temporum descriptio, versuum numerus, metrum, poeticum dicendi genus. De geographia autem cum dicimus jam in primo libro index invenitur locorum circiter quadraginta, qui a saec. VII ante Chr. n. ad V cultum poeticum graecorum significant atque repraesentant.

Opus accuratissimum libenter peritis offerimus auctorique gratulamur imo corde.

BRUMBAUGH, R. - WELLS, R. — *The Plato Manuscript a new Index*. Yale University Press, New Haven, USA, 1968, pag. 163.

Tres sunt sine controversia hujus novi Indicis meritissimae proprietates. Prima quod fortasse optimus omnibus Platonis operum indicibus hucusque confectis esse videtur; altera tamen quod auctores novas in indicem redigendum vias adhibuerunt; tertia tandem quod corpus scriptorum qui id perfecerunt, quomodo collaborare possint studiosi demonstraverunt.

Platonis studiosi permultum ex opere capient voluptatem in primis quia ex hoc aestimabili indice nova omnino Platonis operum editio oritur. Qua in editione comparanda de novo conjunctius adlaborandum est.

Hoc tamen opus ita confectum est ut celerius inveniantur in uno indice omnes domus editrices qui Platonem typis mandarunt (p. 11-71), in altero autem dialogi (71-147); in utroque indice omnia signa ad bibliotecas publicas spectantia. His tamen duobus in-

dicibus etiam commentator, civitas, taberna libraria, tabulatumque inscribuntur.

Nostro tandem iudicio "Index" non omnino studiosis placebit donec novam Platonis operum promissam videant editionem.

MÜLLER, G. — *Sophocles Antigone*, Erläutert und mit einer Einleitung versehen. Carl Winter, Heidelberg, 1967. Pag. 287.

Magna Antigones commentatione in qua singulares investigationes continerentur atque antiquae renovarentur, hucusque carebamus. Hujus operis auctor bene rem perfecit nobisque hanc magni momenti commentationem obtulit, novam certe, sed et philologica eruditione absolutam. Ubi auctor de ortu tragoediae deque ejus significatione disseruit, commentarium in tres partes divisum praebet, scilicet: rationis metricae explicationem, cogitata, singularemque commentarium. Haec divisio passim iteratur juxta usuales tragoediae partes: prooemium, parodum, res medias, exstasimos, exordium. Metrorum explicatio nova videtur. Antiquas nominum series et usitatas rationes praetermittit auctor, significans autem musica operis elementa; quibus omnibus opus singulare artificium redditur. Alterius commentationis partis praecipua thesis haec est: in hac tragoedia nequaquam duos esse actores vindicandos, sed unam tantum Antigonom; Creon enim est actor vituperatione dignus, ut patet non tantum in media tragoediae actione sed etiam in choris qui tragica dissimulatione imbuuntur. Tertia tandem parte perscrutatur auctor quaestiones criticae textualis.

COPLEY, F. O. — *The Comedies of Terence*. The Bobbs-Merrill Company, Indianapolis, USA, 1967, pag. 330.

Omnes Terentii comoediae, sed eae quoque ejus praedecessoris Plauti, e Nova Comoedia graeca quasi e fonte oriuntur; quae comoediae sunt opera quodam modo simplicia seu facilia et ad humanarum necessitudinum quaestiones illius temporis spectant. Apud Terentium quidem harum quaestionum tractatio quadam depravata imitatione imbuitur; descriptiones autem personarum generatim potius quam singillatim fiunt. Novae Comoediae graecae forma litteraria ditissima fuit, ex ea enim non tantum comoedia romana sed etiam europaea comoedia originem capit, praecipue gallica, italica, hispanica; Shakespeare ipse ejus obsecutus est auctoritati.

Oblivisci non debes Terentii comoedias non proprie magis translationes graecorum exemplorum esse quam potius ad tempora romanorum accommodationes.

In hac sex comoediarum conversione, prof. Copley Terentii simplicem sermonem ejusque venustatem servare conatur; quam ob rem auctor interpretari maluit non tantum verba sed cogitata ac tempora. Quo certe laudandum eum putamus; videtur enim ita se habere ut Terentius erga exemplaria graeca.

SCHNITZLER, H. — *Nuevo método para aprender latín*. 17.^a ed. Herder, Barcelona. 1968, p. 223.

Ad linguas ediscendas omnibus cognitae sunt Prof. Schnitzler methodi, quarum hodie hanc cui index "Nuevo método para aprender latín" omnibus linguae latinae studentibus

libenter offerimus; maximo enim adjumento eisdem liber erit, cum tanto editionum numero plane confirmari possit.

Denuo temptavit auctor si linguae latinae rudimenta poni possent juxta novas discendi vias. Si licet, hoc dicam tentamen magis accommodatum quam superiora existimo. Regulae in hac methodo tantum elementa linguae necessaria attingunt; nam locutiones speciales, lexicon, regularumque exceptiones in discipuli memoriam penetrant per exempla et fragmenta lectionum selectarum, quas auctor ex optimis scriptoribus et poetis excerpit eo modo ut discipuli romanae linguae indolem penitus cognoscant.

Putandum est mihi scholasticos qui per hanc novam viam iter facturi sint, ad humanitatem cultumque romanorum facilius duci posse.

WESTERMANN. — *Vocabulario metódico: alemán-español-inglés*. Herder, Barcelona, 1959. Pag. 294.

Lexicon septem circiter milia verborum, ex creberrime usitatis selectorum, continet; quod germanicum, hispanicum anglicumque sermonem ediscere conanti, magno, sine dubio, erit adjumento. Illa septem milia verborum non secundum litterarum ordinem sed juxta eorum significationem sunt disposita; quam ob rem iterum atque iterum repetuntur quo facilius in studiosi memoriam penetrent.

Librum si emeris, ejus LIII capita adnotata invenies inscriptione quid in unoquoque contineatur significanti, atque in extremo libro tres reperies appendices in quibus prostant adjectiva usitatiora (p. 273-284); verba (p. 284-289); et adverbia (p. 289-294).

PETRUS HERRANZ, C.M.F.

B I B L I O G R A P H I A

RIOCEREZO, J. M. L. — *Intenta ha-
certe hombre*. Edit. Studium, Ma-
drid, 1967. Pag. 88.

Opere cui est index "Intenta ha-
certe hombre" Prof. J. M. L. Rio-
cerezo juvenibus aperire contendit ad
adultam aetatem viam quam ingre-
diendi sunt, si ex vitae certamine vic-
tores excedere cupiunt, ut homines
probris moribus fortique voluntate
atque ingenio evadere quondam pos-
sint. Juxta auctoris opinionem clavis
exitus et victoriae voluntas hominis
est, cum re vera haec animi facultatem
credat toti homini moderari eumque
ad agendum permovere; quapropter
defendit auctor voluntatis rectam in-
stitutionem summum esse in educando
quasi fundamentum centrumque uni-
versae institutionis, ita ut conformare
voluntatem idem sit atque hominem
conformare.

Riocerezo a juvenibus multa expos-
tulat vehementer ejusque liber acu-
tissimis admonitionibus est refertus,
ubi ad recte vivendum consilia dan-
tur quaestionesque recte quoque sol-
vuntur.

YOUNG, CIL. — *Intenta tener seguri-
dad en ti mismo*. Edit. Studium,
Madrid, 1967. Pag. 73.

Scopus hujus libelli pellucidus ap-
paret: quantam fiduciam in suis vi-
ribus reponere homines debeant ut
quamplurima eaque difficilia vitae
adjuncta virili pectore aggrediantur.

Responsa ad interrogata auctor da-
re contendit: "Quo mihi usque vires
suppetent? Quo modo mihi munus
perficiendum?"... Quibus quaestioni-
bus persolvendis sententiam auctor
defendit omnem hominem sese cog-

noscere necesse esse, sed postea agere
sine metu, quin unquam fiduciam in
se ipse amittat per omnia vitae discrimina atque pericula.

Haec sapienter habet auctor: "Cum
homo se ipse invenire est assecutus,
invenit illico exitum laetitiamque".
Quam ut homo beatitudinem nanciscatur,
Carolus Young primum considerat
quibus conditionibus fiducia ac
securitas in vita humana constituatur;
deinde non nulla vetera praebet con-
silia nostris quoque temporibus vigen-
tia; denique quaedam perscribit exer-
citia quibus ad recuperandam fidu-
ciam homines feliciter perducantur.

BONDEGGER, H. W. — *Intenta cono-
cer a las personas por su aspecto*.
Edit. Studium, Madrid, 1967.
Pag. 79.

Nemini est dubium quin hoc opus-
culum multum valeat ad longe lateque
diffundendam scientiam necessitudi-
num animi atque conjunctionum cum
corporis specie aspectuque. Cujus rei
explicatio praeter quam quod intel-
lectu haud difficilis videtur jucun-
dissimumque tempus efficit ut aga-
mus, ampliorem in primis nobis pro-
spectum expedit ad convictum huma-
num et societatem.

Maxime corporis nostri pars aspec-
tabilis accuratissime examinatur:
frons, oculi, supercilia, nares, genae,
mentum, barba, auriculae, coma, in-
cedendi modus, risus, vocis sonus ce-
teraque acutissime a Prof. H. W.
Bondegger aestimantur.

Hunc qui legat libellum quique re-
gulas ejus exsequatur, haud parvum
animi excipiet oblectamentum atque
utilitatem.

MARIANUS MOLINA, C.M.F.

LIBRI QUI INSCRIBUNTUR "TEXTOS PALAESTRA"
venales prostant apud officinam librariam EDITORIAL CLARET
LAURIA, 5 BARCELONA (10)

JIMÉNEZ, Grammatica Latina	ptis. 60
" Repetitorium	" 60
" De Orthographia latina (altera editio)	" 20
" Index Orthographicus	" 5
PLANQUE-PLANAS, Gramática Griega (altera editio)	" 90
"TEXTUS" ANNOTATIONIBUS PRAEDITI	
JIMÉNEZ, <i>Historiae Sacrae compendium</i> (5 edit.)	ptis. 10
" <i>Epitome Historiae Graecae</i> (6 edit.)	" 12
* RAMOS, <i>Corneli Nepotis Vitae</i>	" 10
* MIR, <i>Ciceronis epistulae selectae</i> (2 edit.)	" 12
* JIMÉNEZ, <i>Ciceronis pro Archia poëta</i> (2 edit.)	" 10
" <i>Ciceronis in Catilinam</i> (2 edit.)	" 10
" <i>Caesaris, De bello civili</i>	" 10
RAMOS, <i>Ciceronis pro Q. Ligario oratio</i>	" 10
MARTIJA, <i>Vergili Aeneidos</i> (lib. II, 2 edit.)	" 12
MARTIJA, <i>Prudenti Carmina selecta</i> (2 edit.)	" 10
SARMIENTO, <i>Martialis Epigrammata</i>	" 8
* ZULOAGA, <i>Horati Carmina Selecta</i>	" 12
RUIZ, <i>Homeri Odyssea</i> (lib. I)	" 14
RAMOS, <i>Xenophontis Anabasis</i>	" 12

Stellula distincti, etiam sine annotationibus prostant venales, ptis. 6

Fundació Bernat Metge

SCRIPTORUM CLASSICORUM BIBLIOTHECA CATALAUNICA

Veterum Graecorum et Romanorum textuum editiones brevi apparatu critico instructae, necnon praefationibus notisque translationem catalaunicam ex adverso adjectam illustrantibus. Volumina nuper emissa:

- 165 Suetoni - Vides dels dotze cèsars (vol. II)
- 166 Tàcit - Annals (vol. III). Llibres V - VI, XI
- 167 Polibi - Historia (vol. II). Llibres XI - XII.
- 168 Xenofont - L'expedició dels deu mil (vol. I).
Llibres I - III.

Subnotationes mittantur ad:

EDITORIAL ALPHA, S. A.

Vía Layetana, 30 - BARCELONA